DE INITIIS CONFOEDERATIONIS ANTE BELLUM TRICENNALE INTER PROVINCIAS AUSTRIACAS FACTAE

SCRIPSIT

CAROLUS PLATNER
DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.
MDCCCLXIV.

ADOLFO EMILIO

WENDLER

JUVENILIS AETATIS DUCI OPTIMO ET CARISSIMO

HUNC LIBELLUM

PIE DEDICAT

AUCTOR

Quae in hoc libello paucis comprehensa benevolo lectori obtuli, ex ipsa rei natura nil nisi fragmenta esse possunt. Nam fontes quidem de illo, quod perlustrare mihi propositum fuit, tempore profluentes, ex quibus haurire mihi licuit, satis multi et rerum pleni sunt; sed quum haud paucis rebus clarissimam lucem afferant, tamen, omnibus fontibus nequaquam jam apertis, plura in tenebris relinquuntur. Quo fit, ut generatim atque universe ineunte saeculo XVII. in Austriacis provinciis*) feudalismum protestantismo adhaerescentem novas vires hac ex conjunctione capere studuisse, satis perspectum habeamus; saepissime vero, quae singillatim in quaque re consilia ordinum fuerint, quibus ex causis ultimis manaverint, quibus studiis adversantibus aut retardata aut accensa sint, plane atque evidenter dignoscere non possimus. Quae tamen consilia et studia omnia, varie inter se repugnantia, quum belli tricennalis postea ardescentis semina fuerint, diligenter eorum memoriam ex vetustatis oblivione eruere et excitare, profecto operae pretium esse videtur. Propter tantum eorum momentum nostra maxime memoria complures ea investigare jam studuerunt.

Ex variis tabulariis, maxime Viennensibus, Hammer in „Cleselii vita" plurima literarum monumenta cum magno historiae emolumento in lucem revocavit; sed quam ipse confecit narrationem, ea infidissima et paene inutilis est, (quam rem in Excursu II. paucis attigi.) Deinde Hurter secundum documenta eorundem fere tabulariorum, quae Hammer excusserat, cum ira et studio plane furioso historiam scripsit („Geschichte Kaiser Ferdinands II.") cujus id maxime proprium esse videtur, ut quae ille ex documentis

*) Hoc verbo omnes eas provincias notatas volo, quae tantum ipsi imperatoris potestati subjectae erant.

allatis effecerit, saepissime neutiquam cum iis conveniant. Tum ad codicum manu scriptorum et documentorum ex plurimis tabulariis collectorum fidem Gindely duos maxime libros, qui ad manum mihi fuerunt, scripsit: „Geschichte der boehmischen Brueder,“ et „Rudolf II. und seine Zeit;“ sed quamvis plurimas res ignotas patefecerit et multis historiae partibus aliam et clariorem, quam ante habuerunt, lucem attulerit, tamen nonnunquam, pristinis scientiae nostrae fontibus neglectis, nimium tribuisse videtur novis fontibus; ac praeterea id maxime in altero libro reprehenderim, quod ille rerum memoriam hic illic ad rationem ab ipso sub iis subjectam inflexit et contorsit. Longe praestat liber „Carl von Zierotin und seine Zeit,“ quem Petrus de Chlumecky multa cum diligentia, integro judicio, magno rei amore, luculento historiae commodo scripsit; cui libro plurimum me debere confiteor. De rebus Bohemiae ecclesiasticis denique Pescheck, jam ante aliquot annos, in libro, qui inscribitur „Geschichte der Gegenreformation in Boehmen,“ complura literarum monumenta, maximam partem aut ex eo, quod illustraturus est, tempore relicta aut paulo post confecta, composuit, opus valde laudandum, dummodo ejus auctor in digerendis illis literarum monumentis majorem temporum ordinis rationem habuerit.

Post quos rerum scriptores si ego de eodem fere argumento disserere mihi proposui, hoc ideo non supervacaneum esse putavi, quod res illo tempore gestas, nonnullis fontibus minus adhuc respectis illustratas, certo quodam et constanti consilio complecti conatus sum; qua in re si quis forte me nimium viribus meis confisum judicaverit, has studiorum meorum primitias esse, benigne, quaeso, meminerit.

Verum hoc loco facere non possum, quin insignem liberalitatem et benevolentiam, qua vir celeberrimus atque optime de historia meritus, Carolus de Weber, tabularii Dresdensis praeses, in studiis persequendis me adjuvit, gratissimo animo interpreter publiceque praedicem.

PROŒMIUM.

In provinciis Austriacis ordinum evangelicorum consilia, quae, obsistente auctoritate Caesaris, maturata tandem exoriendi belli tricennalis scintillam admoverunt, omnia id maxime spectabant, ut confoederatio, quae dicebatur, provinciarum illarum constitueretur. Quam petebant ordines illi, baronibus potissimum ducibus, quum ad conservandam evangelicae religionis libertatem, tum ad tuenda sua privilegia; simulque superiores Bohemiae ac Moraviae ordines, barones scilicet equitesque, mores, leges et ingenium Czechicae gentis integra servare studebant. Ab initio quidem duabus praecipue causis ad confoederationem quaerendam impulsi sunt: et periculo a Turcis imminente, et imperio Rudolfi II. in libidinem verso. Quorum quum vel alterum haud contemnendum esset, jam conjuncta inter se et cumulata „ad malum imperatoris regimen corrigendum" ansam praebuerunt satis justam.

Primum saeculi XVII. lustrum Caesareae majestati fatale fuit. Nam contra Turcas aliquamdiu re tam prospere gesta, ut anno 1603. curatores ab imperatore constituti illorum legatis pacem petentibus deesse non dubitarent, quum Hungaria fere omnis et Transilvania Austriacis armis pareret et hostium prorsus inde expellendorum spes nasci posset: imperator, tempus idoneum esse ratus, ordinum insolentiae pariter ac protestantium religionis reprimendae consilium cepit. Tum in omnibus provinciis acriore cum severitate, decretis, publicationibus, clericorum et magistratuum artibus protestantes coerciti sunt. Et in Hungaria quidem, ut ubique *civitates* inprimis catholicorum consiliis vexabantur, Cassoviensis civitas gravibus suppliciis denuntiatis jussa est catholicis templo cedere; nec non magnates complures injustis quaestionibus impliciti et exilio confiscatisque bonis puniti sunt. Neque haec satis habebantur. Immo postquam initio anni 1604. Posonii in conventu Hungarici ordines et evangelicae religionis libertatem legibus sancitam et Germanicum militem ex castellis limitaneis remo-

tum esse voluerunt, imperator ad capita in hoc conventu constituta suo arbitratu conditionem subjecit, qua catholicam religionem ab omni detrimento prohiberet. Ita Hungaros non minus sibi infestos reddidit, quam Matthiam fratrem, quem in conventum illum sua miserat auctoritate. Hungaria quidem mox seditioue Bocskayana magno velut incendio conflagravit; et Bocskay ipse, inito cum Turcis foedere, insequenti anno jam Moraviae et Silesiae ordines sollicitatum hujuscemodi literas ad eorum proceres misit: „Patriae religionisque libertatem restituendi hanc secum ansam arriperent, neve contra se pro publicis hostibus in se ipsosque injuriosis arma sumere cogitarent.“[1]) Quibus in rebus confoederationis postea inter provincias junctae primi latent igniculi; sed non protinus tunc conflati sunt. Nam quum „Hungari adhuc nimis contra Germanos exacerbati, Moravi et Bohemi ex animo illis infesti, in Austria archiducatu catholici opibus, pecunia et subjectorum numero itemque officiis publicis longe protestantibus superiores, Bohemi, Moravi et Silesii, quorum propria jura et privilegia imperator confirmavisset, merito ab Hungaris et Austriacis segregandi essent: nondum profecto catholicos metus incedere potuit, ne omnes illi se conjungerent.“[2]) Itaque Moravici ordines, Carolo de Zierotin inprimis monente, contra Heidones defensionem paraverunt; neque minus Bohemi ac Silesii, conditionibus Bocskayanis repudiatis, auxilia Moravis miserunt. Tum vero Hungarorum saevissima fit irruptio in Moraviam et omnes omnino provinciarum Austriacarum finitimas partes. Nec Turcae interea sedent; quibus sublevatis Hungarorum seditione Strigonium oppidum, majore vi oppugnatum, brevi traditur; et Vivarinum modo ne iis ipsis hostibus in potestatem cederet, a Matthia archiduce Hungaris dedi jubetur[3]). Ita summum ac praesentissimum periculum ab oriente Austriacis provinciis impendebat. At Rudolfus imperator „ex quadam animi indispositione et infirmitate, quae sua periculosa intervalla habebat, in gubernatione regnorum et provinciarum jam mi-

---

[1]) Dobner, monumenta historica Bohemiae, II. 451.

[2]) Literae Clesii episcopi ad baronem de Unverzagt anno 1604., die 23. Novembri, datae, Hammer Khlesl I. documentum nro. 167. — Quamquam, ex evangelicis provinciarum Austriacarum ordinibus quosdam jam illo tempore arctioris conjunctionis spem jactavisse, Cleselius in literis illis significare videtur.

[3]) Chlumecky, Carl v. Zierotin, 330. 333. 337; Khevenhiller A. F. VI. 2937. 2962; Katona, historia regum Hungariae 28, 392.

nus sufficientem et idoneum“ se praestabat[4]. Nam licet omnes res et militares et quae ad aerarium pertinebant non minore tarditate, quam fraude administrarentur, tamen inconstans ille atque ad animi morbum proclivis nihil illa curabat mala, sed potius augebat. Itaque Moravi Heidonum incursione oppressi quum impensissime auxilium orassent, primo nullum omnino responsum ab aula Pragensi impetrare potuerunt; deinde Moravicorum ordinum mercede milites conducere duo praefecti jussi sunt; postremo, utrum per milites imperatoris nomine conductos an per hostium copias magis terra vastaretur, dubium fuit. Quippe in illos vicani concursu facto invaserunt; qua re ne ipsi peterentur, barones jam anxii esse coeperunt[5], quum illo tempore omnino in omnibus provinciis Austriacis rustica plebs dubia et nutans seditionem moliretur atque adeo timorem commoveret, ne ipsa hosti aditum provinciarum ex desperatione aperiret[5a].

Tantum periculum ubi cunctis omnino Habsburgicae domus opibus imminere fratres et patrueles imperatoris viderunt, futuram hereditatem agi intelligentes jam Aprili mense anni 1605. ad consilia communicanda Linzium convenerunt. Ibi quum firmiorem inter se pactionem inire in animo esset, id unum clarissime perspexerunt, sibi tam a Papa, ab Hispaniae rege, ab imperii electoribus, quam a provinciarum ordinibus auxilium petendum esse[6]. Qua re manifestum est, quantopere a principio ordinum illorum studia et externo periculo et imperatoris imbecillitate provecta fuerint; quippe his malis quicunque mederi aggrediebatur, inter factionem Hispanicam et ordines provinciales non poterat non fluctuare. Ceterum in congressu illo archiduces, si quis ex suo numero (Matthias scilicet) rex factus esset, ita Hungariam servari et a Turcarum foedere revocari posse rati, una omnes hac de re imperatorem monere constituerunt. Imperator eos non audivit.

Ex eo inde tempore Matthias archidux magis magisque in primum locum promovetur. Nam Hungarorum magnates solliciti,

---

4) Pactio inter archiduces anno 1606. facta, Hammer Khlesl I. doc. 177.

5) Chlumecky 303 sequ. 331, 336, 340.

5a) Hunc timorem pervagatum Zacharias Geitzkoffler eques testatur in consilio, quod anno 1605. imperatori per literas dedit. — Drey politische Discurs des Edlen und Gestrengen Herrn Zachariae Geitzkofflers von Gailenbach, in Bibliotheca regia Dresdensi, Varia sub Matthia 1612—1615.

6) Hurter, Geschichte Kaiser Ferdinands II., VI. 3.

quod Turcae longius jam in Hungariam processerant, simulque sperantes, se privilegia quoque pace accipienda melius firmaturos esse, illum ad partes suas trahere coeperunt. Quibus Matthias ad postremum tanquam medio itinere obviam venit. Postquam enim Decembri mense una cum Maximiliano et Ferdinando archiducibus imperatorem nequidquam iterum hortatus est, ut Hungariam et Austriam cum summa potestate sibi gubernandas traderet, tum Hungarorum proceribus, quos ante ineundae cum imperatore pacis admonuerat, de conditionibus ejus concedere statuit. Ita anno 1606, die 9. Februario, Viennae inter Matthiam et Bocskayanos induciae sedecim capitibus pactae sunt, pacis deinde ineundae tanquam fundamenta[7]).

Sed Hungarorum magnates simul ex alia quoque parte foederis vincula contrahere studuerunt. Ad Palatinum enim, Germanici imperii electorem, legatum miserunt, ut auctoritate apud imperatorem interposita ipsorum postulatis faveret: „postrata enim omni praerogativa atque Hungaricae nobilitatis libertate, murum Christianorum corruisse.“[8]) Ita in provinciis Habsburgicis ordinum primores simulatque imperatoris potestatem detrectare et altiorem sibi libertatem asciscere coeperunt, rem suam cum Germaniae principibus reformatae fidei addictis consociare nixi, talis conjunctionis spem aperuerunt, quali praeter religionis evangelicae salutem ipsae sociorum opes augerentur. Et Christianus princeps de Anhalt quidem, Palatinatus superioris praefectus, a Palatino sententiam rogatus, cum Bohemis consilia de iis, quae Hungari quaesivissent, communicanda, sed non temere rem capessendam esse censuit. Quo factum est, ut Hungarorum legato tunc generatim atque universe respondisse Palatinus satis haberet.[9])

Matthias tandem pro desiderio Hungarorum gubernator hujusce regni ab imperatore nominatus ac deinde archiducum notissima pactione „caput ipsis et columen domus“ constitutus,[10]) 23. die Junio cum Bocskayanis pacem confecit. Cujus leges magnum momentum his praecipue rationibus habuerunt, quod et evangelicae

---

[7]) Kalona 28, 375. 386, ex diario Homonnaiano; Gindely, Rud. II. u. seine Zeit, I. 74. 75; Chlumecky 344. 346. 350.

[8]) Literae ordinum Hungaricorum ad Germaniae principes 10. die Decembri, anno 1605. datae, Katona 28, 458.

[9]) Chlumecky 359.

[10]) Gindely I. 77; Hammer Khlesl I. doc. 177.

fidei libertas sanciebatur, et in administrando regno quum nationis Hungaricae tum maxime nobilitatis privilegia stabiliebantur, et juris actionumque ordo restituebatur. Verumtamen majorem fortasse vim addidit, quod Hungari non solum omnem regni gerendi potestatem Matthiae archiduci concreditam volebant, sed etiam stipulabantur, ordines Bohemiae, Austriae, Moraviae, Silesiae (et Ferdinandum archiducem cum ducatu Stiriae) praeter imperatorem de pace illa cauturos esse.

De quibus pacis conditionibus dum Viennae agitur, jam evangelici Austriae ordines cum Hungarorum legatis de liberis sacris muniendis secreta quaedam consilia inierunt; postea vero quum Bohemicorum, Moravicorum et Silesiacorum ordinum legati ad pactam pacis cautionem interponendam Viennae adessent, Austriaci cum quibusdam ex eorum numero consilia illa communicantes arcanum constituerunt foedus, quo religionis libertatem, si qua injuria ei inferretur, militaribus institutis („Kriegsverfassung“) sibi defendendam esse decreverunt. [11]) Qua in re jam evidentius quoddam jungendae provinciarum confoederationis indicium conspici potest. Nec Matthias ab his consiliis omnino alienus fuisse videtur, qui in frequenti ordinum Austriae inferioris contione tam verbo quam scriptura, pro ordinibus vel vitae periculum se subiturum esse profiteretur; ab imperatore enim auxilium non futurum. [12]) Quod brevi post probatum est. Namque quum, laetantibus provinciis, quae ut ab Heidonum incursione et Caesareorum militum vexatione recrearentur, magnopere optabant, exeunte anno 1606. cum Turcis quoque tandem pax facta esset, imperator eam confirmandam semper distulit nec quidquam eorum, quae statuta erant, peregit. Eadem fere cum socordia nonnullas Hungaricae pacis conditiones neglexit, quare „omnia per longam exspectationem inter spem metumque varie et ambigue agitari videbantur.“ [13]) Quibus rebus mota Hungarorum indignitas mox ira quoque cumulata est, quod imperator anno 1607. ordinum conventum, quem Posonium indixerat, primo distulit, dilatum deinde longius extraxit et vano eorum, quae publice proponenda essent, desiderio facto denique prorsus disturbavit. Tum Heidones insurgendi occasione sumta novum cum Turcis foedus moliuntur; subjectos juramento obstringunt, ut sibi Turcisque amici esse, Germa-

---

[11]) Khevenhiller VI. 3029. [12]) Hammer Khlesl II. doc. 181. et 183.

[13]) Istuanfius, apud Katonam 28, 753; Chlumecky 363.

nos vero et Wallones pro hostibus habere vellent; Valentinum Homonnay vel alium quempiam sibi regem facere decernunt.[14]) Neque hic tumultus jam intra Hungaricos fines se continuit; sed rustica plebs Austriaca, Bocskayanae irruptionis memor et parem ab imperatoris milite vexationem metuens, seditionem defectionemque minata est, si forte, non servata pacis fide, bellum omne in suos fines transferretur.[15])

Ita manifesto jam periculo Austriacis provinciis impendente, Matthias archidux secure diutius Viennae sedere nequivit. Sed precibus vel impensissimis frustra adiit imperatorem, utpote qui quovis modo ei obtrectare atque adeo successionis spem praecidere studeret.[16]) Matthiae igitur monenti ille hujusmodi responsum reddidit: „Provinciae utcunque ipsae sibi consulant!"[17]) Et consuluerunt sibi provinciae, ducibus quidem baronibus, qui periculum externum et domesticam seditionem imperatori principatum renuntiando propulsaturi simul suas opes cuperent augere. Exinde foedus illud, Viennae quum de pace Hungarica ageretur, junctum et communis ordinum sponsio hac de pace facta apertius vim et effectum habere coepit. Primi autem Stephanus Illieshazy Hungarus et Erasmus de Tschernembl Austriacus, conjunctus uterque cum nonnullis ejusdem animi viris ex eodem ordine, fecisse videntur, ut arctiora necessitudinis vincula inter se contraherent. Jam baro de Tschernembl, internuntio Petro Wok de Rosenberg Bohemo, in societatem etiam Christiani principis Anhaltini se confert; et Anhaltinus, quid de protestantibus conjungendis consilii cepisset, mox illi patefacit; simul autem (anno 1607, mense Octobri) in rationum communionem adhibetur Carolus de Zierotin Moravus, qui apud populares suos ingenio et auctoritate plurimum valebat.[18]) Ita consociatis Hungariae, Austriae, Moraviae ordinum principibus, confoederationis harum provinciarum fundamenta jacta sunt, quibus innixi illi vetera jura et privilegia recuperare

---

[14]) Istuanfius et Petrus Pazmanus, apud Katonam 28, 740; Petrus Revaius, ibidem 28, 749.

[15]) Hujus rei testes sunt ordines Austriaci, in literis anno 1608., mense Martio ad imperatorem datis, Bibliotheca reg. Berolinensis, Varia ad historiam Austriae.

[16]) Hurter V. 113. 119. VI. 429; Gindely I. 85.

[17]) Cleselii episcopi relatio de colloquio, quod cum imperatore habuit, Hammer Khlesl II. doc. 213.

[18]) Khevenhiller VI. 3151; Gindely I. 144; Chlumecky 397.

studebant. Quod ut ex omnibus ferme illius aetatis literarum monumentis, ita clarissime ex longiore illa oratione intelligitur, quam postea, anno 1609, die 4. Martio, coram Moravorum legatis Erasmus de Tschernembl habuit, impigerrimus ille acerrimusque Austriacorum ordinum, qui dicebatur, tribunus. Qui inter alia peritissime prolata de imperatoris regimine ita queritur: „totam provinciam pessime fuisse administratam et in dies magis corruptam, judicia depravata, munera ex favore alienigenis, novis, nocentibus hominibus delata, veteres consuetudines traditosque mores exstincta, res novas et perniciosas inductas, obsignata promissa non amplius sincere, sed arbitrio imperatoris et consiliariorum servata, libertatem tributi decernendi in officium versam, denique omnes ordines praeter necessitatem exhaustos.“ [19]) His igitur malis mederi ille in animo habuit; sed cujus maxime commodo id egerit, paulo post profitetur dicens: „in nobilitate omnia posita esse.“

Verum enim vero exeunte anno 1607. ordinum primores illi jam Matthiam archiducem sibi adjunctum habuerunt. Nam Stephanus Illieshazy adito hoc principe, se regnum Hungariae ad ipsum ante alios translaturum pollicitus est; Erasmus de Tschernembl, quid sibi de rebus omnibus gerendis placeret, ad Cleselium episcopum, archiduci familiarissimum, retulit; Carolus de Zierotin per juvenem Albertum Eusebium de Waldstein, affinem suum (qui dux de Friedland postea nominatus est) arctissimum cum Matthiae aula commercium habebat; jamque etiam Carolus de Liechtenstein ditissimus Moraviae nobilis, sed paulo ante et munere capitanei hujus provinciae et gratia apud imperatorem exutus, Matthiae ad milites conducendos pecuniam suppeditavit. [20]) Imperator autem aperte bellum contra Hungaros et Turcas paravit; namque consiliarios, et qui res bellicas et qui aerarium administrabant, de gerendo illo sententiam rogavit; Ratisbonam Germanicorum ordinum conventum indixit, ubi de auxilio contra Turcas ferendo maxime ageretur, atque in hunc conventum Ferdinandum patruelem auctoritate sua legavit.

Tum Matthias in lucem prodit. Sub finem anni 1607. ordinum Austriae tam superioris quam inferioris delectos Viennam vocat

---

[19]) Relation der Unter- und Oberoesterreichischen Abgesandten nach Wien p. p., gedruckt 1610, pag. 34.

[20]) Istuanfius, apud Katonam 28, 754; Khevenhiller VI. 3151; Chlumecky 398. 401.

et, quum propere adessent, 7. die Januario, anno 1608., rogat, ut ipsum ad Hungaricorum ordinum conventum, quem Posonium indixisset profecturum comitarentur: „Hungariae enim regnum in summo discrimine versari, et suam provinciarumque fidem agi servandae paci obligatam.“ [21]) Austriacorum ordinum primores autem jam paucis diebus ante Rositii in arce Caroli de Zierotin cum Moravis quibusdam congressi jurejurando firmaverant consilia inter se composita. Primae ibi Austriacis inter se consentientibus delatae erant: „his ducendam esse navem, qui ad clavum sederent.“ [22])

De rebus Austriacis et de Posoniensi foedere.

Quoniam res deinceps ad exitum venturae Austriae archiducatus nos admonuerunt, idoneum visum est, de ecclesiastico ejus statu paucis dicere. In Austria igitur superiore et inferiore ordines evangelici, barones praecipue atque equites, jam pridem arctiore societate conjuncti, omnibus rebus, quae ad religionem pertinebant, inter se communicatis, altera saeculi XVI. parte — ut Cleselii episcopi verbo utar — quasi rempublicam per se ipsi instituerant. Doctrinae enim evangelicae quo facilior aditus in provinciam patefieret, sacerdotes evangelicos et superintendentes adducebant, conventus secretos celebrabant, libros evangelicos quam maxime vulgabant. Deinde intentissima cum cura rei scholasticae consulebant; quocirca auctoritate propria scholas publicas magnis impensis instituebant, praeceptores ex Germania advocabant, magnum juvenum numerum, qui postea sacerdotes fierent, in compluribus academiis alebant; atque adeo a Maximiliano II. imperatore impetraverant, ut in academia Viennensi tam protestantes quam catholici ad gradus academicos promoverentur. Tum ad munus deputatorum ex baronibus equitibusque — quod munus in commune aerarium potestatem habebat — neminem de catholicis admittebant, et deputatis suis decemviros ex utroque illo ordine adjungebant tanquam consistorium, ad quod omnes ipsorum confessioni adhaerentes, qui cum catholico quopiam de bonis ecclesiasticis lites haberent, semper provocarent. Tribunalium quoque et munerum publicorum gubernaculum quum aliquamdiu penes eos fuisset, in aula velut in morem venerat, ut

---

[21]) Hurter V. 140. — [22]) Chlumecky 399.

quoties utriusque ordinis, baronum atque equitum, mentio fieret, non nisi de protestantibus sermonem esse, semper existimaretur.[1])

Denique evangelici ordines id maxime agebant, ut in partem eorum, quae anno 1571. a Maximiliano II. imperatore de libera religione ipsis concessa erant, etiam civitates vocarent. Quae ab hac quidem concessione exclusae erant, sed id factum contra ejusdem imperatoris fidem anno 1568. datam; tum enim Maximilianus diserte et plane iis spoponderat: „se in confessione Augustana admittenda civitates ac superiores baronum equitumque ordines juxta habiturum, neque omnino ad ullam disjunctionem tendere, nedum discordias inter tres ordines illos serere cogitaret;" simulque caverat, ne civitates Austriae superioris et inferioris inter se dirimerentur. Tamen triennio post a liberis sacris civitates exceperat;[1a]) atque etiam planius apertiusque deinde Rudolfus II. statim post imperium initum religionis libertatem circumscripturus, a nobilitate illas segregare voluerat.[2]) Neque nobilitas tunc confidenter illico iis patrocinata erat. Nam anno 1578. rogantibus septem Austriae superioris civitatibus, ne nobilitas, quatenus religio ageretur, ipsas indefensas desereret, parum alacri animo illa, „non posse se vim vi arcere," responderat. Quamobrem postero anno eaedem civitates, arcano foedere ad fidem evangelicam tuendam juncto, se obligaverant, ut injurias sibi jam imminentes communi omnium consilio atque opera defenderent.[2a]) Vehementioribus demum catholicae religionis restaurandae conatibus in Austriam intentis, superiores duo ordines ad illarum patrocinium acriore studio et assiduitate incubuerunt.

Etenim omnino Austriaca nobilitas cum cura intentissima privilegiis suis inserviebat atque ut eos, qui ipsa inferiores erant, contemneret et premeret, facile adducebatur. Quod etiam in rusticorum seditione sub finem saeculi XVI. per totam fere provinciam conflâta clarissime apparuit. Quae ideo potissimum insignis est, quod pariter ad levandam imperii duritiam, quale servitiis et decumis domini nobiles eorumque villici in rusticos exercebant, et ad depellendas injurias spectavit, quibus monasteriis subjecti

---

[1]) Hammer Khlesl II. doc. 202.

[1a]) Biblioth. Berol., Varia ad bellum tricennale, Vol. IX. nro. 8, 1. 2. 3.

[2]) Oberleitner, die evgl. Staede im Lande ob der Ens, pag. 36. 37.

[2a]) Oberleitner 38. 40.

atque Augustanae confessioni addicti sacrorum ergo afficiebantur.[2b]) Ille igitur tumultus simul et in nobilitatem et in catholicum clerum intentus erat, quae duae factiones, alioquin quidem inter se infestae, nihilominus ad privilegia, quae credebantur, servanda et stabilienda pari ratione subjectos vexabant. Itaque etiam factum est, ut civitates haudquaquam statim a principio nobilitati assentirentur, quae vi et armis seditionem opprimendam esse decrevit, sed cum gratia potius et clementia eam componendam censerent. Ultra demum rusticis progressis, cives quoque delectui a baronibus equitibusque decreto parati fuerunt.[2c]) Tum seditio magnam partem vi compressa est, ac praeterea imperatoris rescripto, quod 8. die Majo, anno 1597. editum est, nonnulla saltem ex iniquioribus servitiis minuta sunt.[2d]) Sed rustica plebs Austriaca duritiam imperii sibi impositi moleste ferre perrexit ac perpetuo exinde animis tumere et rebus novis studere consuevit.

Quamquam illius tumultus materiem anno 1594. catholicus praelatus quidam catholicum sacerdotem pago Lutherano per vim obtrudere conatus praebuerat.[2e]) Omnino enim postquam Rudolfus II. imperium inierat paulatim catholica sacra restauranda denuo convalescere inceperant. Nam quoad longissime imperatoris regimen ad bona fisci, quin etiam oppignerata, vim habebat, et ubicunque causa vel levissima, cur ordines ex Maximiliani concessione evangelicorum sacerdotum alendorum jus potestatemque non haberent, confingi poterat, his sacerdotibus pulsis catholici in eorum locum substituebantur. Academia Viennensis porro, privilegio illo, ex quo diversarum religionum homines ad gradus academicos promoveri poterant, sublato, mox tota iterum catholica facta erat. Similiter etiam in muneribus aulicis eorumque collegiis reformatis catholici tantum constituebantur; atque evangelici baronum equitumque ordines, deputatorum munus cuiquam nisi catholico mandare vetiti, ab aerarii cura excludebantur.[3])

Contentissime autem Cleselio, episcopo Viennensi, auctore atque duce, inde ab exeunte saeculo XVI. catholica sacra restitui

---

[2b]) Conferas rusticorum Austriacorum querimonias anno 1596. ad imperatorem delatas, Khevenhiller IV. 1566.

[2c]) Oberleitner 57. 59.

[2d]) Ibidem 66. 68.

[2e]) Oberleitner 52.

[3]) Hammer Khlesl II. doc. 202.

coepta sunt; quocirca ex eo tempore, maxime in Austria inferiore, factio catholica, firmioribus viribus receptis, magis magisque crevit. Quippe ille, argumentis captiosissimis allatis, Maximiliani imperatoris concessionem omnino irritam censuit.[3a]) Ejus consilium secutus Matthias, Austriae procurator, civitates maxime tentare coepit.[4]) In quibus severe et severe magis evangelici sacerdotes a suggestu prohibebantur, homines catholici in munera civilia et senatum promovebantur, nemo nisi jurejurando astrictus, sese obedientiam ecclesiasticam praestiturum, civis accipiebatur.[5]) Neque Cleselius, praecipue in inferioris Austriae civitatibus, operam frustra consumsit; quippe quas postea, annis 1608. et 1609., inter discordias de libera religione restituenda exortas non ab evangelicis nobilibus stare videamus.

Ita quum prosperius catholicorum consilia succederent, evangelici Austriae inferioris barones equitesque, sacrorum causa iniquissime sese premi sentientes, anno 1603. Wolfgangio de Hofkirchen legato ad spectatissimum quemque Augustanae confessionis principem misso, intercessionem, consilium et auxilium petierunt. Palatino electore prorsus tunc praeterito — quam brevi haec mutata sunt! — Saxoniae electorem rogaverunt, ut communis principum intercessionis ad imperatorem deferendae auctor esset ejusque summam susciperet[5a]). Saxo per literas tam imperatori quam Matthiae archiduci supplicavit, ut injuriae Austriacis religionis gratia illatae tollerentur; atque illo Austriacorum ordinum legato, quum domum rediisset, in vincula conjecto, imperatorem pro eo deprecatus est[5b]).

3a) Hammer Khlesl I. doc. 166.

4) Khevenhiller V. 2506.

5) Hammer Khlesl II. doc. 202.

5a) Relatio Wolfgangii baronis de Hofkirchen, Kurz, Beitraege z. Gesch. des Landes ob der Ens, IV. pag. 273 squ.

5b) Christianus, Saxoniae elector, 11. die Februario, anno 1604. Pragam ad Goedelmannum legatum literas dedit, quibus eum supplices literas suas de vexationibus Austriacorum levandis scriptas et appositas imperatori exhibere jussit; deinde autem, ab Austriacis iterum rogatus, 27. die Februario legatum ejusdemmodi literas ad Matthiam archiducem datas Viennam permittere jubet. — Tabularium Dresdense, Gesandtschaftssachen, 8238. — 30. die Octobri, anno 1604. Christianus imperatorem pro Wolfgangio de Hofkirchen deprecatus est, et 28. die Decembri Goedelmanno legato mandavit, ut imperatorem conveniret atque etiam voce pro illo intercederet, „da dessen Bestrickung von etlichen seiner Widerwaertigen ueber der Religion herruehre, und er

Verumtamen catholicos ex superioribus ordinibus Cleselius, indefessus ille papalis primatus propugnator, jam anno 1604. firmiore societatis vinculo cum praelatis conjungere potuit[6]. Cui rei deinde ab altera factione, dum de Viennensis pacis conditionibus deliberatur, objectum est arcanum illud nonnullorum ordinum evangelicorum foedus, quod jam memoravimus. Sequenti autem anno 1607. evangelici barones equitesque Austriaci Pragam ad imperatorem legatos miserunt, catholicorum ordinum foedus sibi damnosum conquesturi. Imperator iis exprobrans, inscio Matthia, Austriae procuratore, hanc legationem inceptam esse, iniquissimo animo eos repulit atque ipse ad illum delegavit[7]. Quare profecto non mirandum fuit, quod principio anni 1608. ordines Austriaci Matthiae vocanti promptissime sunt obsecuti.

Posonii Matthia auctore inter Hungaricos ordines et Austriacorum delectos de foedere ad pacem et Hungaricam et Turcicam tuendam agitur. Hungarorum magnates illa confisi fide, quam Matthias et Austriaci biennio ante in servanda pace interposuissent, ut ad pacandum conservandumque regnum extrema quaeque secum subeant, ab iis contendunt[8]. Matthiae deinde supplicant, ut ad praecavendum regni excidium sedandosque Heidonum tu-

---

sich der bedraengten Staende Noth in gutherziger Meinung, dem Hause Oesterreich und dem Lande selbst zum Besten habe angelegen sein lassen". — Ibidem, Acta Herrn Wolfgang von Hoffkirchen Bestrickung betreffend.

[6]) Hammer Khlesl I. doc. 166.

[7]) Khevenhiller VI. 3148. — Mira sane videtur haec legatio. Jam enim anno ante Matthias quum pace Hungarica confecta protestantibus aliquantum concessisset, coram frequentibus ordinibus Austriacis, sese ab his ipsis staturum professus erat, irrita utique auxilii spe ab imperatore ferendi. Deinde vero comes de Khevenhiller, jam antequam illam legationem memoraverit, eodem anno 1607. ab eodem Matthia in Hungaria et Austria nobilissimum quemque, „neglecta religionis differentia", adjunctum esse testatur. Qua igitur ratione evangelicos Austriae barones equitesque adductos esse putabimus, ut etiamtum ab imperatore sibi longe inimiciore auxilium per legationem peterent, qua satis plane et aperte Matthiae auctoritatem elevaturi erant? Talem mehercule legationem confirmandae religionis atque augendae libertatis causa inceptam irritam fore, pro certo conjicere potuerunt. Quid vero? Sequenti anno, Martio mense, ordines Austriaci, Posoniensi foedere facto, sui purgandi causa imperatorem in illius legationis memoriam revocant, praedicantes, sese tum ab illo ipso ad Matthiam delegatos esse. — Literae ordinum Austriacorum ad imperatorem datae, Biblioth. Berol., Varia ad historiam Austriae. — Equidem haud scio an non erremus, si ab ordinibus ideo praecipue legationem illam missam esse judicamus, quo justiorem, ea repulsa, ad Matthiam deficiendi causam nanciscerentur.

[8]) Hurter V. 145.

multus, quos Turcarum instinctu motos esse constet, oratorem quam primum cum munere honorario ad Turcam expediat; at si quis in posterum ullam cum sempiterno hocce Christianitatis hoste societatem inire audeat, eum ex publicis regni constitutionibus et Viennensis pacis legibus puniendum censent. Tum novi talis periculi prohibendi causa ex magnatum numero capitaneos, per quos miles conscribatur, singulis regni partibus praeficere atque ita sibi, Matthiae, Austriacis foederatis cavere volunt. Denique Matthiam rogant, ne in suscepto gubernandi regni officio quidquam sibi derogari patiatur: nam exstincto hoc regni incendio, conservatis et ordinum privilegiis et Viennensis pacis legibus, postremo eductis ex Hungaria militibus Germanicis, „eum, quem Matthias exoptet, condignum ipsius respectum“ Hungaros esse habituros[9]). Ex Austriacis vero praelatorum et civitatum delecti, quippe re composita inter barones equitesque, haud protinus Hungaris gratificantur. Moram faciunt; imperatoris auctoritatem causantur. Tum barones: „non contra imperatorem rem intendi,“ subjiciunt; „Hungaris ex pace Viennensi concedendum esse“; et Matthias longioribus frustrationibus illos differri vetat[10]). Unde foedus jam jungendum quantopere ad augendas procerum opes spectaverit, satis fortasse patet. Sed ne barones equitesque quidem temere Matthiae auctoritati se subjiciunt, immo accepta demum dataque cautione, qua mutuum praesidium ac defensionem spoponderunt et archidux foederis illius periculum praestitit[11]). Postero die, Calendis Februariis, inter archiducem, Hungaros et Austriacos foedus convenit, cum eo, ut „si quis contra pacem Viennensem et Turcicam hostis aut turbator ipsis exstitisset,“ tunc omnes mutuis auxiliis sibi adessent et tanquam in communi periculo inter se tuerentur, defenderent atque juvarent[12]). Hac via et ratione confoederatio provinciarum, primum inter nobiles tantummodo facta, jam cum omnibus ordinibus vulgari coepit.

Foedus Posonii ictum fieri non potuit, quin ad consilia Germanicorum ordinum Ratisbonae congressorum moderanda valde pertineret. Nam Palatinus elector, caput factionis evangelicae, a studiis consiliisque nobilium illorum, quippe qui frequens cum Chri-

---

9) Kalona 28, 758.

10) Hurter V. 148.

11) Hammer Khlesl II. doc. 204. et 205.

12) Hammer Khlesl II. doc. 206. et 207.

stiano principe Anhaltino commercium haberent, minime alienus erat. Quem Matthias archidux ipse quoque sibi conciliaturus, Petrum de Rosenberg per literas adiit, ut suam apud illum causam agere vellet[13]). Verum etiam Hungari et internuntio Bohemico barone illo et recta literis mittendis Germanici imperii ordines rogaverunt, ne auxiliis, quae imperator petiisset, praestandis ullam novi belli occasionem praeberent[14]). Quae quidem literae a Ferdinando archiduce, qui imperatoris nomine Ratisbonensi conventui intererat, interceptae sunt; ordines evangelici tamen, de Posoniensi foedere certiores facti, servandam Turcicam pacem neque auxilii quidquam contra Hungaros decernendum censuerunt; „eos enim Germanorum amicos, non hostes esse, ex foedere illo probe intelligi[15]).“

Quo inimicior Matthiae fuit Ferdinandus. Cui quum imperator succedendi sibi in imperio Germanico vel in provinciis Austriacis spem ostendisset, ad consilia ejus descendere haud displicuit, neglecta quidem archiducum pactione, quae biennio ante juncta erat[16]). Sed Matthias haec consilia, instantibus baronibus, celeritate praevertit et confoederationem provinciarum dilatandam curavit. Namque ad ordines Austriacos tulit, ut Posoniense foedus ratum facerent, militem conscriberent, pecuniam sibi pararent „contra turbatores foederis illius;“ ab Hungaris auxilia petiit et summa celeritate eos copias parare jussit; legatos ad Germanici imperii principes misit tam evangelicos quam catholicos, sed illorum ope magis confidebat; postremo etiam Silesiae principes legatione adiit[17]). Prosperrime autem hi conatus jam in Moravia eve-

---

13) Chlumecky 402; Gindely I. 186.

14) Katona 28, 777.

15) Quinta Ferdinandi epistola ad matrem data, Hurter V. 429.

16) Calendis Martiis anni 1608. Maria, Ferdinandi mater, his verbis sua manu scriptis filium admonet: „Ich ferchte mich nur, das nit der kaisser dier vill verhais, darmit Er dich wiedter den Erczherzog Mathias verhecze, und last dich darnach stecken. was ist, *wen Er dich gar zum römischen kinig macht* und giebt nix darzue. in suma, Es ist Ein geferliche sachen, *die gewies woll bedenken bedarf.*“ — Hurter V. 527. — Inde Ferdinandum probatis imperatoris consiliis jam illo tempore successionis spem animo agitavisse, satis fortasse apparet. Hurter quidem in eodem volumine, pag. 130., annotatione adjuncta, se in multis Habsburgicae familiae epistolis ex illo tempore relictis ne minimam quidem illius rei significationem reperisse dicit; sed hoc Hurteri est.

17) Hurter V. 170. 186. 200. 236. 240; Chlumecky 405.

nerunt, cujus ordines, ducibus maxime Carolo de Zierotin et Carolo de Liechtenstein, ad Matthiae auctoritatem se contulerunt. Cujus rei causae brevi explicatione egere mihi videntur.

De rebus Moravicis et de Acvancziciensi foedere.

Accuratissime discernendi sunt in Morovia superiores baronum equitumque ordines a regiis civitatibus, in civitatibus autem senatorius ordo a plebe („die Gemeine"). Quarum partium diversa consilia et studia in ipsa expeditione illa, quam Matthias archidux per Moraviam jam suscepturus erat, clarius apparuerunt. Namque nobilitas, a Slavica stirpe oriunda, sui ordinis et evangelicae fidei beneficia non minus quam suae gentis domesticos mores contra Caesaream auctoritatem tuebatur. Maximam enim partem dogma evangelicum secuta et privilegiorum anno 1480. in codice Tovaczoviensi sancitorum[1]) conscia, etiam Slavicae linguae jam labanti momentum facere studebat. Quibus in rebus omnibus a Rudolfo II. imperatore ejusque consiliariis injuriam sibi factam putabat. Nam quamquam anno 1600. supremus Moraviae senatus („das Landrecht") libera hujus provinciae sacra esse declaraverat, tamen eodem tempore in senatum lectus est vir ille, qui brevi fervidissimus acerrimusque liberorum sacrorum oppugnator exstitit, Franciscus de Dietrichstein Cardinalis juvenis. Qui biennio post in eodem senatu rogationem pertulit, ne quis nobilis in eum legeretur, nisi in verba catholico ritu concepta jurasset; quin etiam perfecit, ut evangelicorum ordinum caput, Carolus baro de Zierotin, de senatu moveretur[2]). Jamque quum Carolus de Liechtenstein, divitiis opibusque praepotens, sacra Romana suscepisset, majus semper in Moravia Catholicismus incrementum cepit.

Simul autem imperatoris aula Pragensis id quam maxime spectabat, ut superiorum illorum ordinum libertatem imminueret. Illi igitur evangelicae nobilitatis duci, Carolo de Zierotin, anno 1600. in speciem Caesareae majestatis tuendae lis intenta est, biennio post absolutione quidem terminata; sed Moravici ordines jam anno 1601. ansam querimoniae habuerunt, quod institutis et legibus neglectis supremus Bohemiae senatus et judicium praetorium

[1]) Chlumecky 21.
[2]) Chlumecky 203. 239.

(sive Camerale) Moravos arcessivisset. Omnia insuper munera publica paulatim studiosissimis Pragensis aulae hominibus mandata sunt; et auctoritate Ladislai de Berka capitanei praevalente, anno 1604., Moraviae constitutiones recensitae et correctae sunt cum magno privilegiorum detrimento. Postero quidem anno quum Moravici ordines, ut jam memoravimus, sollicitantem Bocskayum non secuti essent, tamen paulo post factam Bocskayanorum irruptionem viri saluti defendendae delecti inducias cum illo per se ipsi inire coacti sunt. Imperator vero quum gravissimas causas Moravicas apud supremum Bohemiae senatum dijudicatas vel a cancellaria Pragensi decretas vellet, privilegia ordinum magis magisque affligere perrexit.[3])

Praeter haec omnia Moraviae nobilitas aegerrime ferebat, quod aula Caesarea apertius Slavicam linguam opprimere studebat. Qua re inprimis supremus senatus offensus est, qui saepius de rescriptis Caesareis Germanice editis conquerendi causam reperiret.[4]) Et Carolus de Zierotin anno 1605. eandem in apologia querelam persequens, „consiliarii imperatoris,“ inquit, „Germani sunt, antiquitus nobis inimici, nec Moravicarum rerum gnari.“[5]) Valentissimum in nobilitate Moraviae illud moris domestici tuendi studium esse, quum de Dietrichstein Cardinalis in senatum legendus erat, clarissime apparuerat. Tum enim senatus, ita ut ad unum omnes consentirent, se nullo modo patrium sermonem opprimi passurum, professus erat; quo decreto Cardinalem coegerat, ut Bohemicam linguam disceret.[6])

Qui nobilitatis conatus haud parvum momentum ad discordiam nobilitatis et regiarum civitatum acuendam afferebant. Nam civitates Moraviae, non solum si institutis et legibus judicandum est, verum longe maximam partem etiam si civium origine, Germanicae erant.[7]) Conditae a colonis Germanis et viventes secundum Ger-

[3]) Chlumecky 211. 237. 224. 322. 343. 384.

[4]) Ibidem 207, in annotatione.

[5]) Ibidem 381.

[6]) Chlumecky 205. 209.

[7]) Multae res docent, cives Moraviae maximam utique partem a Germanica stirpe oriundos et nationis suae memores fuisse. In querimoniis enim Brunensis plebis anno 1601., die 12. Novembri, ad senatum ea quoque defertur, quod carmina sacra Germanice cani sacerdos vetuerit, dum nulla omnino Slavicorum carminum mentio habetur. — Des Rathsherrn Ludwig Chronik von Bruenn, herausgegeben von P. v. Chlumecky, pag. 75. — Ejusdem civitatis senatoribus, ab eo ipso annalium scriptore per complures

manica jura municipalia, maxime Magdeburgensia,[8]) ex ipsa rei natura ita comparatae erant, ut Moraviae principes fulcirent, quos mercaturae suae praesidio fore sperabant. Quo factum est, ut nobilitati Slavicae adversarentur, utpote quae, dum nihil antiquius habebat, quam ut sua privilegia dilataret, multis regiis civitatibus per saeculum XV. suae ditionis factis, earum numerum valde minuisset.[9]) Illud autem discidium nobilitati cum regiis civitatibus intercedens etiam saeculo XVII. ineunte cernitur, quin hoc ipso tempore magis elucet. Elucet enim in illa lite Caroli de Zierotin, quum Brunensis judex aulae Caesareae emissarium quendam a barone illo comprehensum et senatui Brunensi in custodiam traditum convenit, neglecto prorsus supremi provinciae senatus interdicto; quum deinde, illo Olomucium in custodiam dato, Olomucensis scriba publicus eidem supremo senatui, qui imperatori illum reddi vetaret, acerrime reclamat; quum postremo senatus Olomucensis, hujus interdicti negligens, suo nomine Pragam illum restituit.[10]) Maxime autem discidium illud elucet ex decreto, quod anno 1600. in Moravicorum ordinum conventu factum est, ut civitates praedia in tabulas publicas referenda („Landtafelgueter") emere vetarentur, quod decretum civitates deinde apud ipsum imperatorem sunt conquestae.[11]) Nobilitas enim, civitatibus praediorum emendorum jure intentius utentibus, ne ipsa debilitaretur, magnopere timebat. Ac profecto, ut exemplum afferam, satis amplus est vicorum numerus, quos Iglaviensis civitas per saeculum XVI. emptione para-

---

annos enumeratis (ibidem in pagina prima et sequentibus) longe maximam partem nomina sunt Germanica. Iglaviae autem anno 1571. lege institutum erat, ut si quis juvenis ingeniosus sit (scilicet ad scribae publici munus deinde suscipiendum) mature in Bohemico sermone erudiretur. — d'Elvert, Geschichte von Iglau, 231. — Ab incunabulis igitur hunc sermonem Iglavienses non discebant; atque idcirco etiam apud Leupoldum, annalium Iglaviensium auctorem, sine ulla fere exceptione Germanica civium Iglaviensium nomina reperiuntur. In aliis porro civitatibus anno 1613. populares versus Germanicos invenimus, luculentissimum Germanici populi documentum. — Chlumecky, C. v. Zierotin, 817. — Quocirca pleraeque civitates etiam in publicis literis Germanica lingua utebantur, neque unquam ab ea re discedere voluerunt. — Chlumecky 207, in annotatione. 718.

[8]) Roessler, die Stadtrechte von Bruenn, pag. IV.

[9]) Chlumecky 35.

[10]) Des Rathsherrn Ludwig Chronik von Bruenn, pag. 46; Chlumecky 218, in annotatione.

[11]) Ludwig 63; Chlumecky 225. 296 annot.

vit, quos antea partim opulentiores civium familiae jam possederant.[12])

Jam vero cur Moraviae civitates in moderandis provinciae fortunis non gravioris momenti esse nec superbiae nobilitatis confidentius obviam ire possent, causa partim in vitioso imperatoris regimine posita erat; namque aerarii administratores civitatum opes uberrimum fontem sibi esse putabant, quibus ipsi exirent aere alieno et copiis dimittendis stipendium praeteritum exsolverent.[13]) Deinde autem, et praecipue quidem, causa illa in discordiis, quae in ipsis civitatibus inter patres et populum agitabantur, cernenda est. Quae partes diversa dirimebantur religione. Dum enim senatores, novarum rerum nequaquam cupidi, longe majorem partem in catholicis sacris permanent aut certe parum difficiliter ad ea recipienda moventur[14]) — exceptis senatoribus Znoymensibus et Iglaviensibus[15]) — plebes contra acerrimo studio evangelicam fidem amplectebatur. Hic jam multarum contentionum fons apparuit. Anno enim 1594. Brunenses plebeji in curiam egressi evangelicum sacerdotem flagitant, consilia Jesuitarum conqueruntur, cuidam ex senatoribus congregatis denuntiant, sese de fenestra eum dejecturos. Interdum quidem, ut illi solemnem catholicorum pompam sequantur vel catholicam ecclesiam frequentent, senatus pervincit (veluti annis 1597. et 1600;) sed parum diuturnum illud et levis admodum momenti erat, „hat etlich Wochen gewert, ist hernach in Brunn gefallen," uti fatetur Ludwig annalium scriptor. Etiam anno 1600., die 22. Novembri, plebeji iterum querimonias ad senatum deferunt, in quibus prisca religionis libertas reposcebatur. Jamque ineunte proximo anno Sigismundus de Dietrichstein subcamerarius, Cardinalis frater, cum senatu expostulare cogitur, plebem imperio ejus subjectam Lutherani dogmatis tuendi causa in arctissimam societatem se obstrinxisse. Brevi autem imperator, catholicam fidem in pristinum splendorem restituturus, fortioribus remediis agit. Anno enim 1601., die 12. Novembri, rescriptum ejus promulgatur, ne quis in civium, nedum senatorum numerum assisceretur, nisi catholicus; et principio se-

---

12) d'Elvert, Gesch. der Stadt Iglau, 206. 221.

13) Ludwig, Chronik von Bruenn, 61; Chlumecky 385.

14) Ludwig, in plurimis paginis.

15) d'Elvert, Gesch. v. Iglau, 179. 259. 260; Leupold, Chronik von Iglau, herausgeg. v. d'Elvert, pag. 206, et passim; Chlumecky 391.

quentis anni alio rescripto Lutherani sacerdotes in urbibus versari vetantur. Sed ad irritum illa cadunt. Senatores quidem, quum Ladislaus de Berka archicamerarius anno 1602., die 16. Aprili, de senatu, qui quotannis cooptabatur, contra legem protestantes movisset, ex eo inde tempore consiliis catholicorum perficiendis inserviunt; plebes Lutherana contra, quamquam rescripti severitati cedens eodem anno sacram catholicorum pompam prosequitur, tamen paulo post seditionem minatur, quum catholicus sacerdos protestanti humationem denegasset, atque exinde evangelici coemeterii emendi veniam petit; quin etiam, cedente Cardinali de Dietrichstein, anno 1604. impetrat, ut sepulturae locus sibi detur.[16])

Tales Brunae erant res civiles. Ceteras vero civitates regias — utique partim, veluti Olomucium — in simili causa fuisse, inde fortasse conjici potest, quod sollicitatis animis anno 1608. cunctae ferme civitates eandem rationem ingressae sunt. Iglaviae tantum et Znoymae, ut jam commemoravimus, etiam universus senatus evangelicam fidem amplectebatur, tametsi anno 1602. Ladislaus de Berka archicamerarius, contempto senatorum privilegio, penes quos cooptatio erat, Znoymensibus catholicos aliquot senatores obtrudere potuit. Parem vim compluribus deinceps annis identidem sibi intentatam Iglavienses cum summa constantia defenderunt[17]); atque anno 1607. Brunenses et Olomucenses cives evangelicos senatorum Iglaviensium et Znoymensium evangelicorum opera, qua ordinum congregatorum fidem implorarent, uti potuisse videmus[18]). Itaque quum Iglaviae et Znoymae de fidei discrepantia contentio agitari non posset, Iglaviae certe concordia inter senatum et plebem intercessit. Neque enim, id quod prioribus aetatibus factum erat, senatorum privilegium, ex quo annua senatus cooptatio senatorii suffragii erat, a plebe in controversiam vocatum est; nam anno 1605. cuncta civitas omnium consensu, ne quo edicto ad libidinem proposito privilegium illud violaretur, imperatori supplicavit[18a]).

Sed redeamus ad seriem rerum anno 1608. gestarum. Quum

---

16) Ludwig, Chronik von Bruenn.

17) Leupold, Chronik von Iglau, pag 206. 211. 217. 226. 232. 247.

18) Chlumecky 391.

18a) Leupold 231. 238. — Qui annalium scriptor nihil omnino de contentionibus in Iglaviensi civitate id temporis agitatis refert.

ordines Austriae inferioris 6. die Martio rogationibus Matthiae archiducis parum libenter atque exiguae tantum parti annuissent et propter motus in vulgo agitatos de milite conducendo scribendoque recusavissent[19]), Moravicis rebus in discrimen adductis brevi illa in meliorem partem versa et mutata sunt. Moraviae enim nobilitas patefactis excitata est insidiis, quibus Tilly, Caesareorum militum praefectus, una cum Ladislao de Berka capitaneo nobilissimum quemque e medio tollere conati sunt[19a]). Quare Brunae in supremo provinciae senatu 7. die Martio senatores et alii barones equitesque Carolum de Liechtenstein sequentes coorti sunt in devotissimum Pragensis aulae ministrum, institutorum et legum contemptorem, Ladislaum de Berka capitaneum. Praetermisso omni religionis discrimine, senatorum et reliquorum nobilium factio postero die congregata, „sese illi propter patriae incuriam amplius fidere non posse", profitetur[20]). Deinde Slavcoviam se conferunt, ad provinciam defendendam copias conducere et vectigalia describere constituunt, omnium ordinum conventui Acvanczicii celebrando 13. Aprilem diem indicunt. Imperatorem rogant, ut tandem Hungaricam et Turcicam paces ratas faceret; simulque Bohemiae et Silesiae ordines ad consilia secum socianda cohortantur et arctiorem Bohemiae cum attributis provinciis confoederationem ineundam proponunt. Verum ubi imperator per Cardinalem de Dietrichstein Brunae in conventu motos ordinum animos sedare, repugnante Carolo de Zierotin, nequicquam conatus est, nobiles, praelatis quoque secum consociatis, die dicto Acvanczicium conveniunt; ibi quum Ladislaum de Berka capitaneum munere removendum pronuntiavissent, sui corporis viros, Carolo de Liechtenstein praeposito directore, curatores rerum publicarum declarant et per se ipsi universum populum evocandum decernunt. Nova autem imperatoris logatione accepta, conventuum etiam injussu principis suo arbitratu indicendorum jus reposcunt. Tum 19. die Aprili cum legatis Matthiae archiducis, Hungarorum et Austriacorum inclytum Acvancziciense foedus faciunt[21]). Cujus

---

19) Hurter V. 171.

19a) „Vertraulicher Bericht des jetzigen Zustands in Maehren", Tabularium Dresdense, Kriegssachen, ungar.-oestr.-boehm. Kriegswesen, 9165, Erstes Buch, Fol. 176 sequ.

20) Epistola baronum equitumque Moravicorum Slavcoviae ad imperatorem data, Dobner II. 471.

21) Chlumecky 408 sequ.

fundamenta in Posoniensi foedere posita erant, quum in utroque Viennensis et Turcica paces integrae servandae declararentur. Praeterea vero illud adjicitur, ut socii non minus ad paces illas custodiendas, quam „qualemcunque aliam ob causam justam et legitimam" in mutuum praesidium se obstringerent[22]. Tutanda ordinum privilegia et munienda sacrorum libertas verbis illis dicuntur. Confoederatio autem provinciarum Matthia duce affectata in ipso Acvancziciensi foedere clarius jam enituit.

Verum nobilitati contrariam civitates Moravicae rationem inierunt. Senatus enim Brunensis jam 8. die Martio, ut nobilium partes sequeretur, appellatus, se in omnibus rebus, quae imperatori et provinciae conducerent, a superioribus ordinibus staturum declaravit. Horum ordinum consilia autem quum in ipsum imperatorem intenta essent, senatus Brunensis responso illo edito nobilitati inimicum sese ostendit, et perstitit in hac sententia vel denuo a nobilium factione ad defectionem invitatus. Nec minus ceterarum civitatum senatores quum a Cardinali de Dietrichstein atque iterum a Ladislao de Berka capitaneo imperatoris nomine commoniti essent, ut in fide manerent[21a], sese in ordinum conventu Acvanczicii habendo non adfuturos esse capitaneo nuntiaverunt; quod propositum Aprili mense ineunte Brunae concilio civitatum instituto tenuerunt, at perficere nequiverunt. In ipsis enim civitatibus jam latius discordiis serpentibus, quum nobilitas servaturam sese Viennensem pacem — cujus prima conditione libera sacra defendebantur — prae se ferret, haud mirum profecto fuit, quod evangelica Moravicarum civitatum plebes magnam partem ad nobiles inclinavit. Itaque postquam nobiles Acvanczicii in conventu, si quis ad societatem suam non accederet, eum pacis publicae turbatorem declaraverunt et foedere cum Matthia, Hungaris Austriacisque facto ad suam ipsorum causam gravius momentum attulerunt, plebes Brunensis, ut nobilium partibus senatus se adjungeret, impensius postulavit. Cedens tandem senatus Acvancziciense foedus assensu comprobat[23]; quod exemplum mox ceteris

---

22) Hammer Khlesl II. doc. 216.

22a) Leupold, Chronik von Iglau, pag. 255.

23) Chlumecky 444. — In narratione, quae priore Aprilis mensis parte scripta est, jam tunc Brunensis et Znoymensis civitates, praelatorum auctoritatem antea secutae, in nobilium partes transiisse referuntur. — „Vertraulicher Bericht des jetzigen Zustands in Maehren", Tabularium Dresdense, 9165, Erstes Buch, Fol. 176 sequ.

quoque regiis civitatibus secutis[23a]), Moravia omnis Matthiae est et foederatorum baronum. Jamque 23. die Aprili Matthias archidux ipse ubi ad Znoymam urbem accessit et fide sua interposita promisit, se Moravicorum ordinum privilegia tuiturum neque adversantibus iis cum quoquam pactionem initurum[24]), nobilitatis principes festa eum pompa excipiunt ac laetissimis etiam civibus in urbem prosequuntur.

Matthias enim, postquam Martio etiamtum mense ordines Austriacos per totum archiducatum militem conscribere jusserat, 15. die Aprili Vienna profectus erat[25]); Znoymae tunc Moravorum fide accepta, jam Silesiam quoque et Bohemiam in provinciarum confoederationem allicere molitus est. Itaque quum ad Silesiae principes, ut vidimus, jam Vienna identidem legationem misisset[26]), mature ex illis duces de Muensterberg et de Jaegerndorf ei nuntiaverant: nihil esse, cur metueret, ne Silesii imperatori pecuniam subministrarent vel militem auxilio mitterent[27]). Quibus principibus quum insuper diligentissimum cum Carolo de Zierotin commercium esset, facile Silesii, nobilibus Moravis monentibus, adducti sunt, ut generalem provinciarum conventum, quem imperator Pragam indixerat, celebrare recusarent[28]). Silesiae igitur principes atque ordines provinciarum confoederationi utique non obnitebantur. Tum Bohemos Matthiae conciliari oportebat.

De rebus Bohemicis.

PARS PRIOR.

Ad Bohemiam quod attinet, altera saeculi XVI. pars eo maxime notatur, quod quum correcta atque emendata Christianorum disciplina et inprimis Lutherana laetius usque effloresceret,

---

[23a]) Iglaviensis plebes haud protinus cum nobilibus sensit; nam etiamtum sub Martii mensis finem senatui declaravit, sese fideliter ab eo staturam neque praeter imperatorem dominum quemquam appellaturam; et 26. demum die Aprili, quum superiores ordines jam iterum per literas senatum sollicitavissent, illa, „quoniam pro patria sine secessione standum esset", in eorum partes transiit. — Leupold, Chronik v. Iglau, 257. 258.

[24]) Hurter V. 293.

[25]) Chlumecky 446.

[26]) Hurter V. 186. 249. 256.

[27]) Hurter V. 240.

[28]) Chlumecky 421.

Pseudo-Hussitismus Compactatis nixus magis magisque reprimebatur. Quae doctrina, animis in illam partem inclinatis, praesertim quum Compactata anno 1567. in ordinum conventu sublata essent, paulatim apertius ad Catholicismum vergebat. Namque quod imperatoris oratores anno 1562. in concilio Tridentino prolocuti erant: sperare se, dummodo coenam sacram sub utraque specie sumere liceret, fore ut Bohemi novas res pertaesi libenter sacra catholica reciperent[1]), concesso calice non erat factum. Immo minutis Pseudo-Hussitis et lapsa consistorii Pragensis auctoritate, Lutheri doctrina nova valensque longissime pullulare coeperat, et secundum Lutheranos Fratrum Bohemicorum secta ampliorem numerum obtinebat. Quae, insignis maxime domesticae disciplinae severitate, quum Lutheranae legi propinquum dogma initio amplexa esset, magis magisque gradatim ad Calvini doctrinam declinabat.

Jam vero Lutheranos et Fratres Bohemicos per totam fere Bohemiam diffusos esse, in ordinum conventibus anno 1575. habitis clarissime apparuit. Ibi Lutherani ordines quum principio Maximilianum II. imperatorem, ut confessionem admitteret Augustanam, rogare cogitavissent, brevi conjuncti cum Fratribus, qui suam ipsorum confessionem neglectam nollent, peculiarem confessionem perscripserunt, Bohemicam, quae nominabatur. Eam imperatori tradidere, 18. die Majo[2]). Cujus confessionis in prooemio ita legitur: „Veram Christianam religionem sequimur ab imperii Romani ordinibus Augustae in conventu anno 1530. Carolo V. imperatori exhibitam et ab ordinibus probatam. Qui ex Fratrum Unitate se esse dicunt, eos religionis causa vexare nolumus, sed Te, Caesar, rogamus, ut nos omnes pari praesidio et favore tuearis nobisque liberum et impunitum Dei cultum pro Christiana nostra religione permittas[3])." Praeterea ad reformandas res ecclesiasticas ordines evangelici id maxime poposcerunt, ut sui corporis viros consistorio Pragensi praeficere possent, quo jure concesso tanquam Lutheranum forum obtinere cupiebant[4]). Maximilianus 2. die Septembri

---

[1]) Pescheck, Geschichte der Gegenreformation in Boehmen, I. 96.

[2]) Gindely, Geschichte der boehmischen Brueder, II. 116. 127. 129. 160; conferatur Historia persecutionum ecclesiae Bohemicae, pag. 127. Gindely diffusius dissensiones perscribit concordiae Lutheranorum et Fratrum praevias.

[3]) Behemische Confession, gedruckt i. J. 1610 zu Prag, pag. 1.

[4]) Gindely l. l. II. 161.

voce illis respondit: velle se ordines Bohemiae in religione non modo ipsum non interpellare, sed ne aliis quidem ullo titulo illud permittere; inprimis vero prospecturum se, ne ab archiepiscopo et a consistorio Pragensi amplius illi premerentur. Simul ordinibus evangelicis conjunctis hanc veniam dedit, ut ad tuenda et munienda ipsorum sacra viros quosdam eligerent, defensores[5]). In quod munus suscipiendum ex singulis ordinibus, Fratribus tamen ad suffragium non adhibitis, quini viri sunt electi. Mansit autem consistorium Pragense neque omnino reformatum est, atque adeo defensores eodem illo anno, quum imperator tam civitates quam Fratres denuo coercere incepisset, munere se abdicaverunt[6]).

Quibus in rebus omnibus dum barones atque equites evangelici primas tenent, civitatum legati ab initio timidius agebant.[7]) Namque in civitatibus Pseudo-Hussitismus postremum habebat refugium. Verum singulari omnino ratione ad id locorum formatae atque comparatae erant res civitatum Bohemicarum, quippe in quibus Germanorum mores et leges validissimas egissent radices. Donatae primum Germanico jure municipali, civitates partim, Praga certe, a principio praeter Bohemicae nationis incolas iisdem moenibus etiam magnum Germanorum numerum continebant, qui saepe vel munera civilia administrabant.[8]) Contra quos, opibus et multitudine sic antecedentes, bello Hussitico quum Bohemi vehementi impetu exsurgerent, statim initio illius quidquid Germanici nominis Pragae erat, coactum est excedere.[9]) Postea autem, mutatis rebus, animis sedatis, paulatim Germani quoque Pragam

---

[5]) Apologie der boehmischen Staende vom Jahre 1619, appendicula XI; Gindely II. 200.

[6]) Gindely II. 206. 217.

[7]) Ibidem II. 117. 129.

[8]) Roessler, das altprager Stadtrecht, pag. XVII. XX. XXI. XXXI. — Minime contemnendum Germanorum numerum ineunte saeculo XV. Pragae fuisse, concludi fortasse potest ex diplomate, quod Wenceslaus rex anno 1413. edidit; quo senatum Pragensem dimidia parte ex Germanis, dimidia ex Bohemis complendum esse statuitur. Roessler l. l. pag. XLVII. — Libellus quidam exeunte anno 1437. in vulgus editus haec verba habet: „Carolo IV. imperatore in regiis Bohemiae civitatibus Germani erant senatores, Germani judices.“ Palacky, Geschichte von Boehmen III. 3, pag. 293. — Anno autem 1419. Bohemi in conventu inter alia, quae exoptent, proponunt: „regiis civitatibus, in quibus Bohemi incolant, rex ne Germanos in posterum magistratus praeficito.“ Palacky III. 2, 53.

[9]) Palacky III. 2, 78. 92.

redierunt; utpote qua in civitate anno 1523. iterum Germanici nominis incolas reperiamus, quibus tunc primis auctoribus Lutheri dogma ibi invalescere coepit.[10]) Ibidem vero brevi denuo acriter impugnatum est, neque omnino in Bohemiae civitatibus protinus increbruit, sed paulatim tantum firmiores radices egit. Quo factum est, ut etiam tempore conventus illius anno 1575. habiti in plerisque Pseudo-Hussitae invenirentur, qui jam rariores, quominus civitates postremo Lutheranis tunc praevalentibus sese adjungerent, diutius impedire nequiverunt[11]). Quo ex tempore doctrina Lutherana per civitates Bohemiae latius altiusque manavit; Pragenses cives paulatim cuncti fere eam amplexi sunt; Budiegovicium ipsum semper catholicum et Cadana sub finem saeculi illius labefieri coeperunt; sola Pilsena catholicam fidem jam ab omni tempore sui propriam severe servavisse videtur[12]).

Jam vero Caesares auctoritatem suam maxime et civitatibus opprimendis et Fratrum Bohemicorum Unitate coercenda corroborare nitebantur. Et in civitatibus quidem Catholicismum atque Pseudo-Hussitismum, jam nihil paene inter se differentes, restaurare studebant; Fratribus vexandis autem id agebant, ut ordinum consensio, qualis Bohemica confessione declarabatur, accisa pedetentim penitus everteretur. Jam Maximilianus II. parum constantis animi anno etiamtum 1575. et Pickardorum (ita Fratres ab adversariis nuncupabantur) ex Wladislai regis mandato omnes vetuerat coetus, et civitates posthac quoque cum consistorio Pragensi in pristina necessitudine permanere jusserat[13]), h. e. eos tantum sacerdotes accipere, qui a consistorio illo ordinarentur ejusque jurisdictioni parerent. „Civitates“, inquit, „ad meum fiscum pertinent; ego supremus earum patronus sum, qui sacra in iis procuranda tradam.“ Quibus verbis rationem ille praeceperat a Caesaribus exinde initam, qua disjunctas ab alteris ordinibus ambobus civitates sub arctiora potestatis suae vincula conjicerent[14]). Et Rudolfus II. tam civitatibus quam Fratribus urgendis

---

10) Bartholomaeus von St. Aegidius, Chronik von Prag, herausgegeben von Hoefler, pag. 60.

11) Gindely II. 117. sequ.

12) Ibidem II. 212. sequ.

13) Gindely II. 213.

14) Tentandis civitatibus quid maxime spectatum sit, significatio quaedam latet in querimoniis, quas evangelici ordines anno 1609. ad imperatorem detulerunt; ibi legitur

patris vestigiis insistebat. Itaque quum anno 1584. Wladislai regis mandatum illud in lucem revocasset, in omnes hujusmodi conatus sequenti anno in ordinum conventu equites coorti sunt liberorum sacrorum propugnatores; consistorio Pragensi evangelici corporis viros admovendi jus postulant; imperatori vectigalia, quae poscebat, tantum decernere volunt, si patris fidem anno 1575. datam firmavisset, ut tandem suam quisque religionem libere profiteri et quibuscunque sacerdotibus vellet, sacra in praediis procuranda mandare posset; sed non obtinuerunt illi, quae postulaverant[15]).

Ceterum Rudolfus II. imperator longe inertior erat, quam qui vim gravitatemque ad mandata adderet et severe ea persequenda urgeret. Exeunte saeculo XVI. magis magisque ad illum, quem supra diximus, modum rebus Bohemicis directis, Fratres non minus quam Lutherani, rarius jam impugnati, plurimum valuerunt, atque ipsa sugrema regni schola, academia Pragensis, Pseudo-Hussitissimum paullatim prorsus exuit. Quae disciplina, nisi paucissimos in civitatibus quibusdam, veluti Pragae, sectatores jam paene nullos habebat et gradatim penitus fere in legem catholicam deflectebat.[16]) Tum subito anno 1602. imperator quum evangelicam doctrinam et ordinum potentiam in ea positam in omnibus provinciis reprimere coepisset, in Bohemia quoque eandem viam et rationem initurus Wladislai regis mandatum in Fratres editum renovavit et latissime patere voluit. Cui rei ineunte anno 1603. in ordinum conventu denuo equestris ordo una voce reclamavit, duce Wenceslao Budowec barone de Budowa, Fratrum Bohemicorum acerrimo facundissimoque assectatore. Qui postquam et ordinum conventum anno 1567. habitum, quo Compactata, Pseudo-Hussitismi fundamenta, sublata erant, et Bohemicam confessionem, qua protestantes anno 1575. suum declaraverant consensum, attulit, sollemniter Pseudo-Hussitismum, quem imperator praeter catholicam doctrinam solum probaret, sectatoribus carere prolocutus est. Neminem enim Pragensi consistorio obsequi, atque universis idcirco Bohemiae pro-

---

(num. 27:) „Civitates religionis gratia magis vexatas esse, quam superiores ordines, quoniam in illis scholae essent." Apologie der boehm. Staende v. J. 1619, appendicula XVI. — Quippe populi eruditio fere omnis a civitatibus oriebatur; quas qui obtinebat, juventutem in manibus habebat.

[15]) Gindely II. 282. sequ.

[16]) Gindely II. 279. 297. 313. 341.

testantibus ex Caesareo mandato illo supplicia perduellionis imminere. Per literas in eandem sententiam concipiendas imperatori supplicare equestris ordo decrevit; sed ille conventu celeriter dimisso, quominus literae sibi traderentur, prohibuit.[17]) Peculiari edicto deinde subcamerario, ministro, ut ita dicam, civitatibus praeposito, praedixit, „ut ne Pickardos et Calvinistas civitatum senatores fieri sineret, sed eos tantum, qui aut sub una specie sacram coenam sumerent, aut vetere ritu sub utraque.“[18]) Neque acquievit tunc in his mandatis imperator; immo Neo-Boleslaviae, in primaria Fratrum sede, quum jam anno 1602. aedes sacra et schola jussu illius obsignatae essent, paucis mensibus post omnia Fratrum bona immobilia confiscata sunt.

Dum ita Rudolfus libera sacra circumscribere conatur, Bohemorum animi, in contrarias religiones moti, jam extremo saeculo XVI. et maxime inde ab ineunte saeculo XVII. catholica doctrina denuo invalescente vehementius inter se exasperabantur. Crevit autem haec doctrina quum acri atque indefesso Jesuitarum nisu, tum quod catholici barones in praediis acriore severitate subjectorum animos ad catholicum ritum convertere studebant. Quam rationem inprimis barones de Pernstein, de Neuhaus,[19]) de Lobkowitz, de Martinitz, et mox, Romanis sacris susceptis, etiam Wilhelmus Slawata de Chlum ingressi sunt.[20]) Praeterea catholica pars Pseudo-Hussitismi reliquias apertius jam ita, ut vel postremum differentiae vestigium deleretur, sibi adjungere studuit. Cujus rei documentum cernimus in lege, in Synodo Pragensi ad corroborandum Catholicismum a Sbigneo de Berka, archiepiscopo Pragensi, anno 1605. edita. Namque ea lege fidei confessio, qualem Paulus IV. papa anno 1564. praescripserat, ab omnibus postulata est, quicunque artem aliquam vel disciplinam profiteri vellent.[21]) Ad quem pertinere poterat haec lex? Apud Lutheranos et Fratres archiepiscopus nihil auctoritate valebat; sed plurimum apud Pseudo-Hussitas. Jam enim anno 1580. Pragensis consistorii administrator in verba archiepiscopi juraverat, et inde ab anno 1596. Pseudo-

---

17) Gindely II. 335. sequ.

18) Apologie der boehm. Staende v. J. 1619, appendicula XV.

19) Quamquam hae duae nobilium gentes, studiosissime catholica sacra restaurare conatae, illa aetate exstinctae sunt.

20) Gindely II. 256. 359.

21) Pescheck, Gesch. der Geg.-ref. in Boehmen, I. 127.

Hussitarum sacerdotes per eundem archiepiscopum inaugurabantur:[22]) ita tunc jam id spectatum est, ut reliqui Pseudo-Hussitismi sectatores aut omnino ad catholicam doctrinam traducerentur aut, si qui nollent, a catholicis refutarentur.

Ita in Bohemia factiones ad fidei discrimina dispositae erant, Catholici, Lutherani, Fratres, Pseudo-Hussitis vix ullo amplius loco numeratis aut certe ad decernendam rerum summam nihil omnino valentibus: quum motus anno 1608. concitatus ad Bohemicos fines est prolatus.

De rebus Bohemicis.

PARS ALTERA.

Matthias archidux mature, ut in partem confoederationis ductu auspicioque suo affectatae Bohemiam vocaret hujusque regni diadema sibi imponeret, spectavit. Et ipse et foederati Hungariae, Austriae, Moraviae barones cum multis nobilibus Bohemis longiore consuetudine conjuncti erant. Jam Posonii Wenceslaus de Kinsky — qui nulla religionis ratione habita postea suum quoddam institutum consecutus est — in se receperat, si duobus publicis Bohemiae praediis donaretur, omnes opes se exerciturum, ut Bohemiae regnum Matthiae deferretur.[1]) Deinde et Hungariae ordines, ipsis calendis Februariis, anno 1608., et Matthias Petrum Wok de Rosenberg per literas rogaverunt, ut ipsius populares ad Posoniense foedus comprobandum sollicitaret.[2]) Qui re vera 8. die Martio supremos regni officiales, ut de pace Hungarica sancienda Matthiae voluntati assentirentur, admonuit.[3]) Tum Carolus de Zierotin Moravus aperte et studiose aggressus Wenceslaum de Budowa, quocum jam pridem sibi conjunctio et familiaritas intercedebat, ad fovendam provinciarum confoederationem perducere nisus est.[4]) Sic archidux ejusque socii Bohemicos barones allicere stu-

[22]) Gindely II. 279. 361.

[1]) J. E. Folkmann, die gefuerstete Linie des uralten u. edlen Geschlechtes Kinsky, pag. 33. — Quod opusculum praeter rem illam supra memoratam alioquin de conspicuo illo Wenceslao de Kinsky nihil praecipue novi affert, quin accuratius cognosci possit ex Hurtero, Chlumeckio, Gindelii Rudolfo II., ex documentis in Hammeri Cleselio exscriptis et capitibus confoederationis anni 1619, quae in Luenigii codice diplomatico exstant.

[2]) Gindely, Rudolf II. u. seine Zeit, I. 186.

[3]) Gindely, in eodem libro, I. 208.

[4]) Chlumecky 420.

duerunt; attamen hi eos vocantes non secuti sunt. Speraverunt enim, imperatorem facilius sese coacturos, ut querimoniis suis mederetur, quum ipsorum ope atque auxilio tunc quam maxime egeret. Itaque ubi ille Posoniense foedus irritum esse jussit, supremi Bohemiae officiales Februario mense, sese ad Hungarorum societatem non descensuros, verum capitis et bonorum periculum pro illo adituros esse, omnium ordinum nomine sunt professi.[5]) Tum imperator Pragam Bohemicorum ordinum conventui diem indixit 10. Martium; ordines, Moravorum nobilium factione, quae Slavcoviae congregata erat, nequicquam ad defectionem sollicitante,[6]) ad generalem provinciarum conventum — qui tamen postea haberi non potuit — consenserunt atque imperatori amplum belli apparatum, universi populi delectum, ad regnum defendendum decreverunt; quin etiam rationis, quae Bohemiae cum Germanico imperio intercederet, recordati, omnes illius regni feudatorios, h. e. saeculares electores, ut imperatoris clientelam retinerent, commonendos esse censuerunt.[7]) Inde 31. die Martio edictum imperatoris propositum est, ut 29. die Aprili expeditis quisque armis paratus promptusque esset. Quamvis interea Matthias, nihil sibi negligendum ratus, quo Bohemorum animos flecteret, ipse primarios barones per literas exhortatus esset, ut in suas partes transgrederentur, defectionem non paraverunt; quo factum est, ut imperator etiam 9. die Aprili fratrem Posoniense foedus rescindere juberet.[8])

Tum, rebus Moravicis in apertum discrimen evadentibus, Matthias Bohemicis ordinibus conventum 4. die Majo Czasloviae habendum indixit, velut eos, qui suis partibus faverent, recensurus.[9])

---

[5]) Hurter V. 163. 165.

[6]) Chlumecky 416.

[7]) Gindely l. l. I. 200; Chlumecky 418, annotatio 61; Hurter V. 252. — Conferantur etiam literae Matthiae ad evangelicos electores 7. die Aprili datae, Hurter V. 270, et Hammer Khlesl II. pag. 71. — Hurter et Hammer primum harum literarum exemplum in Habsburgicae domus tabulario asservatum inspexerunt; sed apud illum legitur: „die der Verbindung der Staende Abgeneigten sollten an ihre Lehenspflicht gemahnt werden;“ in Hammeri libro contra: „die der Erbvereinigung der Staende Zugethanen sollten ihrer Lehen aufgemahnt werden.“ Uter recta verba memoriae tradidit? — Vide Excursum II.

[8]) Hurter V. 252. 268; Chlumecky 432.

[9]) Gindely I. 206; Hurter V. 282; Chlumecky 440; conferas etiam Matthiae literas ad imperii Germanici principes 26. die Aprili Znoymae datas, Hammer Khlesl II. doc. 217.

Jam diebus circiter quindecim ante quam Vienna movit, Petro de Rosenberg consilium illud patefecerat; quem Erasmus de Tschernembl quoque impensissime oravit, ut Czasloviae adesset; inprimis autem Carolus de Zierotin, ut qui in Bohemia sibi familiares essent, maxime Wenzeslaum de Budowa, permoveret, summo studio annisus est, adjutus peculiaribus epistolis, quibus Matthias ipse tam Wenzeslaum de Budowa et alios Bohemiae barones, quam civitates atque inprimis Pragam, regni caput, in conventum illum invitavit. Et Acvancziciensi foedere facto, cunctum Moravicorum ordinum corpus aperte et saepius Bohemos cohortatum est, ut ad archiducis causam se adjungerent.[10]) Verum frustra eos tentaverunt. Jam dum Matthias Znoymae moratur, Czasloviensem conventum non perfectum iri apparuit. Comite enim Cardinali de Dietrichstein, imperatoris legato, supremorum Bohemiae officialium et senatorum legati ad Matthiam et Moravicarum rerum curatores advenerunt, imperatorem Hungaricam et Turcicam paces sancitas velle affirmaturi simulque illos Bohemorum nomine arma atque opem ad peregrinum militem arcendum rogaturi (quibus verbis nihil, nisi archiducis exercitus, dictum esse poterat.)[11]) Qua legatione audita, et Matthias et Moravicarum rerum curatores nihil aliud potuerunt, quam afferre, quae querebantur: imperatorem a malis et turbulentis hominibus regi, qui provinciarum jura atque privilegia infregissent; in utramque pacem illam imperatorem ipsum quascunque machinatum esse fallacias; Tillium praefectum cum imperatoris milite Moraviae imminentem nuper vel totius nobilitatis caedem facere jussum.[12]) Inde Matthias Bohemiae arma inferre paravit. 30. die Aprili Znoyma quum movisset, 8. die Majo illius regni finem trajecit, militum Hungaricorum, Austriacorum, Moravicorum viginti milia socum ducens.[13])

---

10) Chlumecky 440; Gindely I. 208; Hurter VI. 8. 9. — Exemplum literarum, quas Matthias 16. die Aprili ad aliquam Bohemiae civitatem dedit (scilicet Pragenses civitates dictae esse videntur) in tabulario Dresdensi reperimus, Kriegssachen, Ungar. oestr. boehm. Kriegswesen, 9165, Erstes Buch, Fol. 379. — Matthias iisdem literis praeterea rogavit, ut invitatio etiam ad alias civitates in eadem regione sitas perferretur.

11) Hurter V. 292; Chlumecky 448.

12) Chlumecky 449.

13) „Diarium Anonymi“ et „Kurtze und wahrhafftige Verzeichnuss etc.“ (de quibus libellis vide Excursum I.) viginti quinque milia militum perhibent; sed quem supra edidimus numerum, firmatur concordantibus, quae Khevenhiller (VII. 9) Chlu-

Matthiae a principio sententia stetit, „totius amplae domus Austriacae ejusque posteritatis saluti imperatorem perducere, ut omnibus regnis et provinciis voluntate ipsi concederet, quo facto pactioni anno 1606. inter archiduces initae satisfieret.“ [14]) Verum etiam majora ille in animo habuit; nam ultra provinciarum Austriacarum fines consilia ejus spectaverunt atque adeo in Germanicum imperium jam intenta fuerunt. In relationibus enim, quas legati electoris Saxonici Majo et Junio mensibus Pragae scripserunt, saepius hujusmodi verba legimus: „de archiducis consiliis varios rumores differri; velle eum, si in Bohemia voti compos factus sit, in Germaniam progredi, ubi quoniam principes aliquot consuetudine devinctos teneret, Caesareum diadema, si non ultro sibi offerretur, denique armata manu obtineret.“ [15]) Qui vani rumores fuisse possint; sed aliquam certe fidem accipiunt, quum inter solemnitatem Hungarici diadematis tradendi 27. die Junio ex Matthiae comitibus vir nobilis, cui nomen Khan erat (notum illum Eusebium Khuen dictum putaverim) haec increpuerit: „vae omnibus illis, qui iter nostrum morati sunt! nam inde si longius castra promoverimus, immo jam prope Francofordiam ea posuisse velimus!“ [16]) Praeterea autem evidentissime Matthias continuo post rem inceptam nihil antiquius habebat, quam ut imperii Germanici principes, maximeque electores, in causam suam adduceret. Namque per legationes unumquemque adhortatus est, ut sibi suisque consiliis faveret; [17])

---

mecky (pag. 451) et Gindely (Rud. II. u. s. Zeit, I. 204) referunt. Quos postremo laudavimus rerum auctores, eorum uterque accuratam relationem Monachii in tabulario asservatam spectavit, quacum Dresdensis tabularii relatio plane congruit (Kriegssachen, 9165, Erstes Buch, Fol. 487.)

14) Hammer Khlesl II. doc. 231., in extremo. — Idem illud consilium Matthias imperatori 13. die Majo aperte sic proponit: „Maxime forsitan conducat, illum aetate jam provectum, in hocce tempore imperii onera detrectaturum et provinciarum querimonias levaturum, ad id descendere, quod majorum nonnemo vivus item fecerit.“ Hurter VI. 18. — Illa pactio domestica quum pro juris ratione esset, qua Matthias inniteretur, ipse jam extremo mense Februario eam promulgandam curaverat.

15) Literae legatorum Saxonicorum Pragae ad electorem datae (17.) 27. die Majo, aliae (20.) 30. die Majo, aliae (6.) 16. die Junio, anno 1608. Tabularium Dresdense, Kriegssachen, Ungar. oestr. boehm. Kriegswesen, 9165, Ander Buch.

16) Literae eorundem legatorum Pragae ad electoris consiliarios 27. die Junio datae, ibid.

17) Matthiae praeceptum Reichardo de Stahremberg, legato ad complures imperii electores principesque, Februario mense datum; Matthiae testimonium Ludovico de Stahremberg, legato ad Christianum Saxoniae electorem et Johannem Georgium Saxo-

deinde Znoyma 26. die Aprili ad universos omnino imperii principes literas misit, quibus incepta purgaret;[18] tum Saxoniae et Brandenburgiae electoribus, qui mense Majo intercessionem suam interponendam professi sunt, eam sibi probari respondit; denique id quam maxime spectavit, ut accurata rerum relatione exhibita illos ordinibus foederatis conciliaret, diserte, sese hanc relationem etiam cum aliis electoribus communicatam velle, dicens.[19] Quae omnia si animo complexi erimus, intelligemus fortasse, quid Matthias die post, quam imperatoris emissarius quidam, Joh. Bapt. Casale, in ejus castris deprehensus est, (30. die Majo) his verbis ad Christianum Saxoniae electorem scriptis dixerit:

> (Man wird uns und den unirten Koenigreichen und Laendern nicht verdenken) „dass wir alsdann uns laenger nicht aufhalten, sondern dem nachsetzen muessen, dazu wir von so vielen ansehnlichen Koenigreichen und Laendern vereinigt, und uns der Mittel gebrauchen, deren wir nicht mangeln, damit unser loebl. Haus sammt dessen zugethanen Koenigreichen und Laendern vor endlichem Untergange, darauf es nun schon gestanden, sowohl der ganzen Christenheit unwiederbringliches Verderben verhuetet werde, Der gaenzlichen getroesten Hoffnung und Zuversicht, Ew. L. werden Ihnen *solch unser und der mit uns unirten Koenigreiche und Laender wohlmeinend Vorhaben*, indem wir zu aller Billigkeit gar geneigt, ihres Theils auch nicht missfallen lassen, sondern viel eher zu diesem heilsamen Werk alle gute Huelfe, Befoerderung und Vorschub erweisen, als zu einem widrigen sich bewegen lassen, Und nachdem wir nicht zweifeln, es werden sich Leute befinden, die nicht unterlassen werden, *solchen unsern und der unirten Koenigreiche und Laender genommenen Fortzug* aufs widrigste zu deuten, — so haben wir um so viel mehr Ursach genommen, Ew. L. dieses zu berichten.“[20])

niae ducem, 18. die Februario datum, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Erstes Buch, et Ander Buch.

[18]) Hammer Khlesl II. doc. 217.

[19]) Literae Matthiae archiducis ad Christianum Saxoniae electorem 17. die Majo datae; literae legatorum Saxonicorum et Brandenburgicorum Pragae (8.) 18. die Majo datae; relatio, quam Matthias his legatis eodem die tradendam curavit, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, liber I. et II.

[20]) Tabular. Dresd., Kriegssachen, Ungar-oestr-boehm. Kriegswesen, 9165, Ander Buch, Fol. 126.

Itaque Matthiam, si in provinciis Austriacis prospere rem gessisset, cum evangelicis earum ordinibus in Germaniam procedere et imperio potiri voluisse, justo jure, credo, contendi poterit. Quocirca si Germaniam respicimus, quod Bohemi Matthiae obstiterunt, quam maximi momenti fuit, et facile inde intellectu est, cur Saxonici legati (17.) 27. die Majo electori ita scripserint: „totius imperii Germanici, ex sua quidem sententia, plurimum interesse, ut imperator Bohemiam, Silesiam et Lusatiam conservet; nam ordines foederatos, si his provinciis nunc insuper potiti sint, adeo opibus valituros esse, ut in imperii ordines ad suum plane arbitrium dominari possint.“ [21])

Tunc vero Matthiam id primum omnium spectare oportuit, ut imperatori Bohemiam et omnes omnino provincias hereditarias eriperet. Quod propositum ut assequeretur, juverunt eum Hungariae, Austriae, Moraviae ordines a baronibus ducti. Barones enim expetiverunt „privilegiorum valde attritorum restitutionem, inprimis vero Caesarei regiminis correctionem“ [22]); h. e. imperatorem ipsum hoc regimine movere eique principatum renuntiare voluerunt, quo facto quum factionis potentia non firmari et augeri non posset, ad postremum conventus Batavi instar rempublicam constituendam esse censebant [23]). Itaque Matthias eorum assensu alligatus, quum Cardinalis de Dietrichstein ab imperatore consilii inope cum novis subinde mandatis novisque conditionibus ad eum mitteretur, identidem declaravit: „insciis et invitis ordinibus non posse se ad praecipuum responsum ullum vel conditionem descendere [24]).“ Electorum Saxoniae et Brandenburgiae legatos autem non aliter ad colloquium admisit, quam multis coram baronibus [25]).

Jam vero imperator, quum frater adventaret et celeritate arma

---

[21]) Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.

[22]) Matthiae literae ad imperii principes 26. Aprili Znoymae datae, Hammer Khlesl II. doc. 217.

[23]) In literis (27. die Aprili) 7. die Majo datis J. G. Goedelmann, Saxonicus legatus, qui Pragae tum versabatur, haec verba scripsit: „Es hat sich das Haus Oesterreich zu befahren, wofern der Erzherzog in alles, was die Hungern, Oesterreicher und Maehrer haben wollen, nicht einwilligen wird, oder Ihrer fuerstl. Dl. sonsten ein Unglueck in diesem betruebten Zustand widerfahren sollte, dass *ein staatisch Wesen* darauf erfolgen moechte.“ Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Erstes Buch.

[24]) Hurter V. 272; Hammer Khlesl II. doc. 218.

[25]) Literae horum legatorum (1.) 11. die Majo datae et aliae (8.) 18. die ejusdem mensis, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Erstes Buch.

Bohemorum nondum parata superaret[26]), provinciis concedendi initium fecit, his literis 8. die Majo ad illum datis: „omnem et Hungariae et Austriae suo nomine absolute gubernandarum potestatem illi se permittere“[27]). Eodem die alteris etiam literis pollicitus est, „cum Bohemicis ordinibus, ut Matthias huic regno successor designaretur, se acturum; de Moravia offensas omnes velle se sublatas, cui rei quovis modo se cauturum“[28]). Quae fere concessionum summa erat, quam imperator instanti fratri obtulit; quas enim conditiones Cardinalis de Dietrichstein praeterea crebris legationibus Matthiae commendavit, plerumque latebrae minoris in rebus gerendis momenti fuerunt.

Ceterum cur imperator de Moravia et Bohemia plura concedere se coactum non putaverit, causa maxime in Bohemicis ordinibus cernenda est. Czasloviam enim Matthias quum 8. die Majo veniret, ex Bohemicis ordinibus nemo adfuit, ne Petrus de Rosenberg quidem[29]). Qui auctoritate Christiani principis Anhaltini plurimum movebatur. Anhaltinus vero, ut Matthias solida atque integra victoria potiretur, minime optabat, sed electoribus res Austriacas, ut sui arbitrii facerent, jam ad Germaniam vindicandi tempus esse ratus, hac sententia Petrum de Rosenberg imbuit, qui exinde non aperte in Matthiae partes sibi transeundum esse censuit[30]). Magna autem Bohemicorum ordinum pars exemplum atque auctoritatem ejus secuta est. Wenceslaus de Budowa contra, si proximis utique actionibus ejus judicandum est, eo potissimum retentus esse videtur, quominus Czasloviam se conferret, quod imperatorem imbecillum et auxilii inopem evangelicorum ordinum postulatis certius obsecuturum existimabat, quam Matthiam opibus et copiis affluentiorem. Praeterea Pragenses civitates constanter ab imperatore steterunt. Quarum senatores quum, Matthiae literis ac-

---

[26]) Delectus Bohemorum tum demum perfectus et paratus est, quum Matthias jam proxime ad Pragam accessisset. Nam (10.) 20. demum die Majo, qui Pragae tum versabantur, quatuor legati Saxonici scripserunt: „Sonsten macht man sich allhier zur Defension gefasst; es kommt aus den Kreisen viel Volks an, und ist Jedermanu, soviel wir vernehmen, wohl gemuth, welches wir zu unsrer ersten Anherkunft — qui adventus ineunte mense fuerat — gar anders gefunden.“ Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch, Fol. 13.

[27]) Hammer Khlesl II. doc. 219.

[28]) Hurter VI. 625.

[29]) Gindely I. 207; Chlumecky 452.

[30]) Gindely I. 209. 210.

ceptis, aditum petivissent, imperator iis privilegia quaedam reddidit, a Ferdinando imperatore olim adempta[31]). Senatores inde decreverunt, ut singulae domus singulos pedites armarent, denae autem domus singulos equites, jamque 27. die Aprili — quamquam, credo, vetere stilo — recensum militum egerunt[32]). Illustrissimo igitur quoque atque ipso regni capite ita se gerentibus, Bohemiae ordines, indignati insuper, quod Matthias armis sese ipsorum regem oblaturus esse videbatur[33]), imperatori minime iniqui exstiterunt et delectui, quem ex hujus rogatione decreverant, si non ardentissime, certe parati fuerunt.

Jam Matthias ad regni caput proprius usque accedebat, quum imperator diem Bohemicorum ordinum conventui 21. Majum indixit[34]), ubi archiducis et provinciarum foederatarum legati audirentur. Imperator fratrem Bohemico regno ab ordinibus successorem designari volebat, archidux ab iis rex creari[35]). Dies igitur quum 21. Majus conventui incipiendo statutus esset, ordines eo die Pragam jam convenerant; exorsus autem est conventum imperator tertio demum die post[36]). Interjectum tempus evangelici ordines censuerunt in postulationibus proponendis, quae omnium primum

---

31) Le Mercure Français 236.

32) Literae Praga allatae, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Erstes Buch, Fol. 290. — Ceterum hujus rei memoria variatur iis, quae imperatoris emissarius, Joh. Bapt. Casale, mense Majo exeunte a Matthiae militibus captus indicavit. Secundum quae Praga minor imperatori auxiliorum loco trecentos Germanicos milites conduxit, Praga vetus auxilia sibi imperata misit. — Hurter VI. 34. — Utique civitates Pragenses magna cum facilitate imperatori opitulatas esse constat.

33) In compluribus epistolis Saxonici legati Bohemos aegerrime tulisse affirmant, quod „armata manu“ Matthias in Bohemiam accessisset.

34) Hic dies ter legitur in responso, quod Matthias 13. die Majo Cardinali de Dietrichstein reddidit (Hammer Khlesl II. doc. 220.) Quare praeterea conventus ille non 15. demum die Majo indictus esse potest, uti vult Chlumecky, pag. 458.

35) Praeceptum archiducis legatis ad Bohemiae ordines 23. die Majo datum, Kurz, Beitraege zur Geschichte des Landes ob der Ens, IV. 349.

36) Ita quidem Romano numerandi more; illud ergo factum est 23. die Majo. — „Diarium Anonymi“ et „Kurtze und wahrhafftige Verzeichnuss etc.“ jam 19. die Majo conventus illius initium factum esse, memoriae tradunt; sed falso, ut omnino hi fontes ambo hic illic parum accuratam tam temporum, quam locorum rationem habent. Etenim 23. demum die Majo imperator fratri scripsit: „hodie ad Bohemicorum ordinum conventum de illius successione se laturum.“ — Hurter VI. 30. — Qua rogatione imperator conventum est exorsus, atque insuper literis, quas legati Saxonici (13.) 23. die Majo, et quas postero die Pragae dederunt, ille dies confirmatur. — Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.

ad religionem spectarent, sibi consumendum esse. Qua mente barones equitesque evangelici 22. die Majo concilium habuerunt[37]; quod initium ab illis ortum ad augendas eorum opes non minus quam ad sacra tutanda rem spectare, satis declaravit. Tum ex nobilitate ultimus et solus Pseudo-Hussitismi sectator, qui publice hujus doctrinae causam agere conatus sit, nobis occurrit, Stephanus baro de Sternberg[38]. Qui concilio illi suasit, ut protestantes Wladislai regis mandato acquiescerent[39]. Postero die ubi imperator ipse ordinum conventum solemniter auspicatus est, Wenceslaus de Budowa, ex Fratribus opulentissimus ille illustrissimusque, omnium ordinum evangelicorum nomine oravit; qui quum minoris partis princeps esset, Lutheranorum et Fratrum concordia a principio indicatur. Sic ille agit: Wladislai regis mandatum evangelicis ordinibus tunc minime conducere, quippe quod eo valeret, ut protestantes Compactatis et consistorio Pragensi obsequerentur, id quod nulla conditione facere vellent. Affert deinde (ut jam quinquennio ante) et Compactata anno 1568. sublata et confessionem Bohemicam postea protestantium consensu conceptam, eosque tuituros semper hanc confessionem et conservaturos profitetur. Tum Viennensis pacis, qua biennio ante Hungaris liberorum sacrorum beneficium sancitum esset, mentionem injicit, neque Bohemos hoc beneficio indigniores esse quam Hungaros asseverans, religionis libertate illi ut impertirentur, postulat. Quae nisi concederetur, in ulteriora eos non ingressuros esse, sed flagitato ad imperatorem aditu curatissimas gravissimasque preces delaturos[40]. Cuncti or-

---

37) „Diarium Anoymi," Dobner, monum. hist. Boh. II. 307; et „Kurtze u. wahrhafftige Verzeichnuss etc." pag. 10.

38) Eum Pseudo-Hussitam fuisse, inde apparebit, quod protestantibus Compactata restituta voluit; catholicus autem fuisse nequit, quoniam in evangelicae tantum nobilitatis concilio de rebus illis agi coeptum est.

39) Quod mandatum, ut in Fratres quidem intentatum erat, tamen catholicos tantum et Pseudo-Hussitas ex jure admittebat, quum, quo editum erat, anno 1508. Lutherani nondum exstitissent.

40) Inde fortasse satis jam manifestum est, quo consilio Wenzeslaus de Budowa et Bohemi in imperatoris fide permanserint. Quo angustiis oppresso, commoda et privilegia, quibus archiducis socii fruerentur, nullo fere negotio auferre voluerunt. Quae sententia literis legatorum Saxonicorum (12.) 22. die Majo datis confirmatur, ubi haec verba sunt: „Soviel wir vernehmen, werden die Boehmen und Schlesier bei Ihrer kaiserl. Majestaet sich ihren Pflichten gemaess ganz standhaft erzeigen, doch wollen sich die Boehmen dieser Gelegenheit auch gebrauchen und sonderlich libertatem religionis und Verbesserung des Regiments haben." — Tabular. Dresd., Behemische Aufforderung anno 1608.

dines jam ardentissime oratori acclamant eumque rogant, ut quae sibi proponenda essent postulata describeret. Assentitur etiam Stephanus de Sternberg; et in aliis exinde ordinum privilegiis definiendis industriam locat, et in modo sacris statuendo in ordinum sententiam cedit: id quod nulla eum factione nisum esse, evidenti est indicio. Insequenti die (24. die Majo) Wenceslaus de Budowa, quae literis mandaverat, viginti quinque capita suffragio ordinum permittit. Omnes nomina subscribunt, nobiles aliquot centeni, regiae civitates fere omnes, exceptis Pilsena et Budiegowicio[41]). Jamque qui in universam hanc societatem se conferre recusarent, de fenestra praecipitandos esse denuntiatur[42]).

Verum viginti quinque capita illa et ad religionem et ad politicam rationem spectant. Primo loco collocatum est de religione caput. Cujus fundamentis in Bohemica confessione positis et archiepiscopi Pragensis jurisdictio et Compactata diserte rejiciuntur. Illam confessionem contra tabulis publicis inserendam esse statuitur atque ita principem regni legem dicendam; res ecclesiasticas quoque pro decrctis anni 1575. reformandas et inprimis in consistorii administrationem defensores denuo creandos. Academia Pragensis porro ab evangelicis ordinibus vindicatur. Postremo peculiariter tam civitatum quam rusticorum ratio habetur; omnino enim neminem religionis causa vi cogendum; civitatibus autem de evangelicis sacerdotibus esse concedendum.

In politicis capitibus tres potissimum rationes discernendae sunt. Postulatur enim primum aeque descripti juris restitutio; deinde privilegiorum nobilitatis amplificatio; tum alienigenarum exclusio et Bohemorum indigenarum dominatio. Cohaerens cum rationibus secundo et tertio loco positis denique etiam Germanici moris in civitatibus repellendi studium dispicitur.

Prima igitur ratio eorum capitum est, quibus, definita tribunalium constituendorum et munerum mandandorum norma, catholici et protestantes inter se exaequantur, et supremi Bohemiae officiales sine justa et legitima sententia a muneribus summoveri vetantur. Atque ex eadem ratione arbitrio Caesareae cancellariae et aerarii administratorum obviam itur, legitima singulorum tribuna-

---

[41]) Ipsa subscripta nomina asservanda Wenceslao de Budowa ab ordinibus concredita sunt.

[42]) Diarium Anonymi, Dobner II. 307 — 309; et Kurtze und wahrhafftige Verzeichnuss etc., pag. 10 — 13.

lium, maxime supremi senatus, auctoritas restituitur, testamenta ut valeant inviolata statuitur, et quae sunt id genus alia levioris momenti.

Altera ratio, valentissima, nisi fallor, et firmissima, legem continet, ut supremi officiales suo arbitratu et ex iis quidem, qui ipsorum instar antiqui generis et originis essent, vicarios eligerent; qua re administrandi regni potestas fere omnis baronum arbitrio permittebatur. Quod baronum privilegium eo vel cumulabatur, quod universa res militaris ad regni defensionem instituenda ordinum conventibus, in quibus illi principatum sententiae tenebant, mandabatur. Et valet eadem ratio illa potissimum lege, ne qua in poena capienda imperator bona tolleret; ita enim, tametsi quis morte et honoris jactura multaretur, bona tamen in familiae possessione manebant et libero imperatoris arbitrio subducebantur: opulentissimo cuique maximi momenti lex, cujus sanciendae causa idcirco singulares majestatis literae postulatae — ac deinde promissae — sunt.

In tertiam autem rationem ea capita concepta sunt, quae statuunt, ut quibuscunque muneribus ecclesiasticis, praecipue archiepiscopatui Pragensi, indigenae tantum Bohemi admoverentur, atque ut omnes omnino causas Bohemicas imperator ne alienigenis, sed Bohemicis officialibus et Bohemicis judicibus deliberandas traderet. Quin illud domestici moris sinceri conservandi studium jam in Germanicas quoque provincias, Bohemiae attributas, Silesiam et Lusatiam, propagare Bohemi volebant. Quarum capitaneos ex nulla gente et natione, nisi ex Bohemica, imperatori eligendos esse censebant, Wladislai regis privilegio quodam hanc ad rem in lucem revocato.

Jam vero Germanici moris in civitatibus disseminati rejectio, ad quam Bohemi tetenderint, in peculiari lege enitet, quae si non ab initio viginti quinque capitibus ascripta fuit, certe decretorum illius conventus summae inserta et cum aliis politicis capitibus sub legis vincula conjecta est.[43]) Decretum enim factum est, ut jura municipalia corrigenda publicis regni constitutionibus („Landesordnung“) consentanea redderentur, quam ad rem ex singulis or-

[43]) In hac quaestione omnino illam decretorum summam ante oculos habui, non prima viginti quinque capita, quae adhuc codicibus manu scriptis tantum tradita exstant. (Chlumecky 460, annotatio 16.) Verumtamen haecce capita fere integra in illam decretorum summam redacta sunt, licet de religione quod erat caput et ex politicis

dinibus seni viri recuperatores dati sunt. Quid hoc? Nempe si jura Bohemiae municipalia Germanicae originis fuisse atque etiamtum nonnulla certe hujus rei vestigia servavisse, publicas regni constitutiones vero a Bohemico ingenio ortum duxisse meminerimus, decretum illud quid valeat, magis, credo in aperto erit. Illa igitur Germanici ingenii ortusque vestigia ex juribus municipalibus elidenda Bohemi censuerunt; quae opinio firmatur, quum a civitatibus creatos sex viros illos, quibus jura municipalia adversus publicas regni constitutiones tuenda essent, omnes Germanici nominis fuisse animadvertamus.[44])

---

pauca (velut de definiendo crimine laesae majestatis, de constituenda, quam ordines conventibus suis vindicaverant, re militari) in proximum conventum dilata essent. — Gruendlicher und ausfuehrlicher Bericht, was bei allgemeinem Landtag zu Prag 1608 von allen 3 Staenden des Koenigreichs Boehmen bewilligt und beschlossen worden, Biblioth. Berol., Varia ad historiam Austriae, nro. 2; de religione caput, vocabulis, quippe quae ex Bohemico translata sint, paululum tantum immutatis, etiam apud Pescheck, Gesch. der Geg.-ref. in Boehmen, I. 135, et Apologie der boehmischen Staende v. J. 1619, appendicula XVII. — In tabulario Dresdensi (Kriegssachen, ungar. oestr. boehm. Kriegswesen, 9165, Ander Buch) summarium reperitur eorum, quae Bohemiae ordines 23. die Majo in conventu proposuerunt. Quod summarium viginti tria tantum capita habet ac praeterea peculiarem illam legem de juribus municipalibus corrigendis latam non continet. Ceterum in eodem tabulario etiam aliud breviarium eorum, quae Bohemicis ordinibus postulanda essent, cum viginti quinque capitibus prope congruens, exstat: „Kurtze Verzeichnuss der Landesbeschwerungen, so uff izigem Landtag der Roem. kaiserl. und koenigl. Majt. von den dreyen Staenden des Koenigreichs Boehmen sollen fuergetragen werden“, Tabular. Dresd., Behemische Aufforderung anno 1608. (Quod breviarium his verbis incipit: „Erstlichen wird begehrt, dass das Koenigreich Boehmen des mit den Ungerischen Staenden aufgerichten *Wiener Vertrags* in nachfolgenden Punkten moege theilhaftig werden.“ Conferas annotationem 40.) Haud equidem scio, an hujus breviarii leges a Lutheranorum factione, cujus princeps erat Joachimus Andreas comes de Schlick, propositae fuerint; nam cum Saxonibus Lutheranis communicatae sunt. Quod autem differunt a viginti quinque capitibus, politica ratio non tam distincte in iis premitur, et lex illa deest, ne qua in poena capienda imperator bona auferat. Num forte postulata, qualia Wenceslaus de Budowa viginti quinque capitibus proposuerat, prae illis legibus ideo potissimum a Bohemicis ordinibus comprobata sunt, quod planius et apertius ad politicam rationem spectabant?

[44]) Fuerunt enim hi viri:

Simon Han, a Lichtenfeld (oriundus),
Adam Leonhard, a Neyenbergk,
Wenzel Magerl, a Sobischeck,
Melcher Faldius, a Neyenbergk,
Johann Theodor Sixt, ab Ottersdorff,
Georg Humel, a Ruppersdorff,

His viginti quinque capitibus Bohemicorum ordinum studia et consilia patefacta cernimus; itaque totius illius motus, qui ad extremum ad concitandum bellum tricennale ansam praebuit, in Bohemia velut aditus sunt. Speciem vero simillimam conditionibus pacis biennio ante cum Hungaris factae quum haec Bohemorum postulata praebeant,[45]) Posoniense autem et Acvancziciense foedus illa demum Viennensi pace nitantur, omnes motus illos, qui in provinciis Habsburgicis ineunte saeculo XVII. incensi fuerint, arctissime et pari quadam ratione inter se cohaesisse, manifestum satis atque evidens esse videtur.

Rogantibus ordinibus postquam supremi Bohemiae officiales perscripta viginti quinque capita jam 24. die Majo imperatori tradiderunt, at parum definite ab eo responsum renuntiaverunt, evangelici ordines ipsi, 28. die Majo, aditu per contumaciam expugnato, oratore Joachimo Andrea comite de Schlick,[46]) tam capita

---

partim quidem causarum actores, qui alias quoque nobis occurrunt, (veluti apud Gindely, Geschichte der boehm. Brueder, II. 401.) — Alia vestigia, ex toto quidem tempore illo relicta, quae, Germanicum morem per Bohemiae civitates diffusum illustrando, in eandem sententiam illam nos deducere possunt, haec maxime reperimus. Majestatis literis, quae vocantur, promulgatis, Pragae Germanica templa duo Germanorum in illa civitate incolentium multitudinem capere nequiverunt. — Chlumecky 855, in annotatione. -- Deinde anno 1615. Pragae in generali provinciarum conventu Bohemici ordines legem tulerunt, ne quis advena Bohemicae linguae ignarus posthac sive in nobilium sive in civium numerum ascisceretur; ne Germanicae linguae periti, qui Pragae et in aliis Bohemiae civitatibus habitarent, amplius Germanicam civitatem se esse dicerent, neve scriberent. — Hurter (VII. 611) hanc quidem legem ad annum 1619. delegat; sed conferas, quae Chlumecky, pag. 855. in annotatione, affert. — Tamen anno 1618. in civitate Pragensi minore, quum, turbis oborientibus, responsum quoddam ad imperatorem mittendum civium universitati legeretur, aliquot inventi sunt, qui sibi, Bohemicae linguae ignaris, ut responsi sententia Germanice patefieret, exigerent. — Apologie der boehm. Staende v. J. 1619., appendicula LV.

[45]) Utraque lege imperatoris arbitrio obviam itur, evangelica sacra libera repetuntur, nobilitatis factioni principatus permittitur, indigenae ut alienigenis anteferantur postulatur.

[46]) Secundum Saxonicorum legatorum relationes omnino Joachimus Andreas comes de Schlick omnibus rebus illis longe magis implicitus magisque actionibus conspicuus fuisse videtur, quam si Diario Anonymi tantum judicamus. Illi enim legati (22. die Majo) Calendis Juniis ita scripserunt: „Graf Joachim Andreas Schlick hat sich bei diesen Dingen gar wohl erzeigt und dadurch zufoerderst Ihr kaiserlichen Majt. grosse Gnade, bei den Staenden aber sondern favor erlangt.“ (Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.) Nimirum Lutherani illius comitis actiones quam maxime ad Saxonicos legatos pertinebant, et varia ille consuetudine cum his legatis conjunctus erat,

illa, quam Bohemicam confessionem imperatori permiserunt.[47]) Responsum, quod protinus orator ille flagitavit, postero die per Adamum de Sternberg burggravium voce redditur.[48]) Quo responso res bifariam dispertitur. Imperatorem ordinum postulatis annuere quidem, sed de religione tantummodo quod caput sit in proximum ordinum conventum 6. die Novembri (die Jovis ante Martini) instituendum conferri velle; tunc nullam imperatoris rogationem consulendam ante quam illud deliberatum et decretum sit; interim vero neminem, ne subjectos quidem, ob res divinas libere perpetratas vexatum iri.[49]) Ad quod promissum imperatoris nomine burggravius fidem obligat. Cui Bohemici ordines, quamquam modo insolentius se gesserant, ex improviso assentiuntur, ut de religione controversia dijudicanda differatur, „dummodo suis quisque sacris libere interim ac publice operari possit, et quae clausa fuerint templa ubique reserentur.“ Quin etiam inde inter evangelicos ordines et catholicorum paucitatem pactum fit, ne qui ex altera parte alteros in sacris exercendis interpellent.[50]) Quo de consiliorum eventu Bohemi, velut ex Papistarum servitute jam erepti, gaudium atque laetitiam agitaverunt.[51])

Unde Bohemorum alias atrociorum subita haec facilitas? — Imperator, ut memoravimus, fratri urgenti concesserat, ut legati ejus in Bohemicum conventum admitterentur. Itaque jam 26. die Majo — quum Bohemi ergo postulata literis consignata imperatori jam patefacienda curaverant, at responsum nondum tulerunt — Matthiae archiducis atque ordinum foederatorum legati, principe Carolo de Zierotin, in conventum illum adierunt. Ibi secundum Matthiae praeceptum (quod ipsum a Carolo de Zierotin conceptum esse videtur[52])) hic Moravus nobilis longam et magnificam orationem habuit, cujus sententia haec fuit. Archiducem Bohemis

---

47) Diarium Anonymi, et Kurtze u. wahrh. Verzeichnuss; cf. Chlumecky 462. 470.

48) Chlumecky 473.

49) Khevenhiller VII. 11; Hurter VI. 48; Chlumecky 473; Artikel von der Religion, locis, quos supra diximus.

50) Diarium Anonymi, et Kurtze u. wahrh. Verzeichnuss; Artikel von der Religion, locis laudatis.

51) Literae legatorum Saxonicorum (21.) 31. die Majo datae, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.

52) Kurz, Beitraege zur Gesch. des Landes ob der Ens, IV. 349; conferatur Chlumecky 467, in annotatione.

non minus quam provinciis jam foederatis reddita cupere privilegia et melius regimen institutum; quae ut in omne tempus sibimet ipsis munirent, unum illis et certissimum relinqui, ut Matthiam regem crearent; eum insuper jam biennio ante pactione inter archiduces facta totius Habsburgicae domus caput declaratum esse.[53]) Quod Bohemis confidentius Matthias rogavisse visus est. Etenim quum „armata manu“ in eorum fines invasisset, offensos se duxerunt privilegiis, quae de regis electione vindicabant, violatis. Nam libero suffragio uti volebant neque cogi ratione ulla, ut Matthiam regem appellarent.[54]) Cujus legati quum velut copiarum numero confisi rogationem illam ad ipsos tulissent, Bohemi, quid postulationibus suis imperator rescriberet, utique exspectaturi, archiducis legatis, rem longioris consilii esse, responderunt.[55]) Imperator autem pollicendo, per literas sese libero Bohemicorum ordinum suffragio cauturum esse, Joachimum Andream comitem de Schlick, Lutheranae factionis principem, sibi conciliavit et ordinibus persuadere jussit, ut literis illis contenti essent.[56]) Deinde 29. die Majo suprema regni munera viris, quos ordines cupiebant, detulit.[57]) Tum ad eorundem ordinum voluntatem in rebus uxoriis veniam a Papa petendam abrogavit.[58]) Denique ea, quae ab Adamo de Sternberg voce tantum promissa erant, ipse 31. die Majo literis firmavit.[59]) Inde, Lutheranorum auctoritate, ut videtur, praevalente, ordines, imperatoris causam haud ambigue amplexi, tertio die post archiducis legatos certiores fecerunt: regno

---

[53]) Chlumecky 464.

[54]) In literis duorum legatorum Saxonicorum (7.) 17. die Majo Pragae datis haec verba leguntur: „Die Beheim wollen liberam electionem haben, es wird aber in dieselbe durch des Erzherzogs Matthias starken Anzug im Koenigreich, indem Ihrer fuerstl. Dl. von Niemand ein Widerstand geschieht, ein ziemlicher Riss gemacht;“ ac deinde: „Es ist zu besorgen, dass es mit den Boehmen und Erzherzog Matthias zu Weitlaeuftigkeit kommen werde, dann sie nicht gestatten wollen, die Succession in diesem Koenigreich ihnen armata manu abdringen zu lassen: Ihre fuerstl. Dl. sollen's legitimo modo, wie dero Herr Vater weiland Kaiser Maximilian mit dem jetzigen Kaiser gethan hat, cum depositione armorum suchen.“ — Tabular Dresd., Kriegssachen, 9165, Erstes Buch, Fol. 533. Conferas etiam Gindely, Rud. II. u. s. Zeit, I. 213.

[55]) Chlumecky 467.

[56]) Literae legatorum Saxonicorum (19.) 29. die Majo ad electoris consiliarios datae, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.

[57]) Literae eorundem legatorum (20.) 30. die Majo ad electorem datae, ibidem.

[58]) Literae eorundem legatorum (22. die Majo) Calendis Juniis datae, ibidem.

[59]) Chlumecky 475; Gindely, Rud. II. u. s. Zeit, I. 230.

Bohemico designaturos se Matthiam et rogare, ut exercitum e finibus suis quam ocissime reduceret.[60])

Tum Matthiam, regni illius occupandi spe destitutum, in conditiones, quas imperator offerret, se demittere oportuit. Neque enim armis Bohemos adoriri audere potuit; qui interea delectu habito amplissimas copias imperatoris arbitrio permiserant,[61]) atque imperator ipse insuper suis sumptibus plurimos milites conduxerat.[62]) Quarum copiarum multitudine fretus imperator licet paulisper vi et armis fratrem propulsare cogitavisset, ubi Hispanici legati auctoritate animus ad pacem inclinatus est,[63]) fide sua interposita 7. die Junio Bohemis promisit: „Matthiam si successorem ordines crearent, liberam hanc creationem juribus eorum et privilegiis detrimento non futuram.“[64]) Tertio die post conventus ad pacis conditiones postulandas una cum imperatoris legatis suos quoque legatos ad Matthiam mittere constituit.[65])

Jam vero 11. die Junio de Moravicis maxime rebus instituendis Dubecii agi coeptum est, Libnae deinde continuatum. Ex archiducis enim et ordinum foederatorum legatis Moravi quum nulla lege in imperatoris ditione ac potestate remanere vellent, Moravia ut a Bohemia sejungeretur, postulaverunt. Deinde sibi anno 1579. ruptam pacis publicae fidem in quocunque vindicandi jus sancitum esse affirmantes, ab imperatore obedientia solvi voluerunt, utpote qui rectissime neque omnino seditiose fecissent. Tum illud maxime spectaverunt, ut quibus injuriis Bohemicae cancellariae aerariique administratores et Bohemici judices ipsorum libertatem imminuissent, ab his sese tuerentur ac defenderent. Quin etiam, si

---

60) Chlumecky 477; Gindely I. 231.

61) In literis legatorum Saxonicorum (21.) 31. die Majo ad electoris consiliarios datis ita legitur: „Es zeucht stuendlich soviel Kriegsvolk zu Ross und Fuss an, dass wir uns darueber verwundern.“ Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.

62) De Bohemici exercitus numero Saxonici legati relationem variant. Nam (22. die Majo) Calendis Juniis, ex octo regionibus quadraginta milia militum conscripta esse, sex milia peditum equitumque conducta, ac praeterea magnas copias intra Pragensia moenia contineri, scribunt; (26. die Majo) 5. die Junio, conscriptorum militum supra viginti milia esse; die post, sedecim milia peditum, tria milia equitum pridie recensita esse, et plures milites perpetuo contrahi. (Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.) Certe Bohemorum copiae exercitui archiducis abunde pares fuerunt.

63) Chlumecky 480. 483.

64) Luenig, deutsches Reichsarchiv, pars specialis, 1. Abth., pag. 49.

65) Chlumecky 486.

forte imperator Matthiae superstes esset, tunc in reliquam ejus vitam alium Austriacae domus archiducem sibi principem creandi jus poposcerunt.[67]) Et proposita consecuti sunt. Imperator enim, Silesia quoque defectionem jam minitante, de foederatorum ordinum postulatis celerius ut concederet, permotus est.

Namque in provinciam illam Matthias ex itinere 15. die Majo nova legatione missa, Silesiae principes atque ordines ad Acvancziciense foedus comprobandum hortatus, sese attrita eorum privilegia refecturum promiserat. Ad haec illi fidem causantes, quam imperator de tuenda pace sibi dedisset, 30. die Majo dubie Matthiae responderant[68]); brevi post decreta tamen legatione, 19. die Junio Matthiam rogaverunt, ut in creando mox Bohemiae rege Silesiorum suffragium custodiret atque apud imperatorem querimoniarum levandarum patrocinium susciperet[69]). Ita Matthias tanquam Silesiorum patronus quum in spem utique adductus esset etiam plenae eorum voluntatis sibi conciliandae, imperator pacem cum eo facere diutius non cunctatus, 22. et 25. diebus Juniis concepta pacis foedera subscribendo sanxit[70]). Quorum haec primaria fuerunt capita. Hungaria, Austria, Moravia ab imperatore Matthiae conceduntur; Moravia idcirco usque ad imperatoris mortem a Bohemia disjungitur et in administratione non minus quam in jurisdictione suae potestatis fit; Silesiae privilegia restituenda et confirmanda promittuntur; a Bohemicis ordinibus Matthias designatus Bohemiae rex appellatur[71]). Quam ob rem Matthias privilegiis eorum ipsorum ordinum, „quorum bona et libera voluntate“ regno designatus esset, fide sua interposita cavere debuit[72]).

Tum 27. die Junio omnibus pactorum conditionibus in Bohemicorum ordinum conventu sancitis, Bohemia id certe temporis provinciarum confoederationem detrectavit. Matthias autem 30. die Junio castra movit, ex hujus regni finibus in Austriam recessurus.

---

67) Chlumecky 488 sequ. 495, annotatio 46.

68) Hurter VI. 36. 38.

69) Hurter VI. 59; cf. Wuttke, die Entwicklung der oeffentl. Verhaeltnisse Schlesiens, I. 260. — Hurter quidem auctor est, a Silesiis ad provinciarum confoederationem jam accessuris Matthiam illa rogatum esse; quod equidem haud crediderim, quoniam Silesiis, si plane ad Matthiam se applicare voluissent, in imperatoris ope querimoniis suis levationem quaerere non opus fuisset.

70) Chlumecky 496. 497.

71) Khevenhiller VII. 11; Hurter VI. 56; Chlumecky 497—499.

72) Luenig, deutsches Reichsarchiv, pars spec., 1. Abth., pag. 50.

De contentionibus, quae in provinciis Austriacis de libera religione agitatae sunt, strictim quaedam allata.

Pactis Libnensibus 25. die Junio, anno 1608. confectis, in Habsburgicarum provinciarum historia non ideo tantum certa quaedam pars terminatur, quod provinciarum confoederatio Matthiae archiducis ductu ad exitum quendam pervenit; sed etiam in ipsis ordinum studiis consiliisque manifestum noscitur discrimen. Namque quum ad illa usque pacta ordines id praecipue egissent, ut et pristina omnino privilegia restituerent et maxime nobilitatis factionem corroborarent firmarentque, exinde res ad religionem pertinentes, sacrorum libertas recuperanda, omnium fere animos vehementius, quam antea factum erat, commovere coeperunt. Quamquam enim hanc libertatem Hungari jam pace Viennensi sibi sanciendam curaverant, et alii quoque ordines eandem spectantes arcanum inter se foedus junxerant, tamen privilegia prius munienda censuerant; itaque etiam pactis Libnensibus libera sacra ne uno quidem verbo attacta sunt. Sed Matthias, quamvis ad consilia perficienda ordinum maxime evangelicorum auxilio summopere uti deberet, nihilominus etiam nullo modo evangelicorum sacrorum libertati caverat; cujus rei ab illis admonitus, de ea loquendi tunc non tempus esse, responderat; sese, ubi proposita assecutus esset, de religione quod justum foret, concessurum[1]). Quocirca jam 29. die Junio Stierboholii in Matthiae castris Hungaricorum, Austriacorum, Moravicorum ordinum legati, quotquot adsunt, ad fidem evangelicam tuendam atque defendendam foedus inter se faciunt. Ibi „qualemcunque causam justam et legitimam“, illa Acvanciciensis foederis verba, sic interpretantur, ut inprimis liberam religionem, libera sacra intelligi velint; ibi statuendam hanc libertatem conditionem dicunt, qua accepta demum in principis verba jurent; ibi, si cui ex provinciis foederatis injuria illata sit, omnes se obligant, ut hanc provinciam consilio et re diligentissime tueantur[1a]).

Quo ex pacto Moraviae ordines mense Julio ad firmanda et sancienda privilegia conventu instituto, Matthiam archiducem simul et ad accipiendum jusjurandum invitaverunt, et ut libera sacra redderet, rogaverunt. Jam tunc insuper regiarum civitatum incolis

---

1) Literae legatorum Saxonicorum (16.) 26. die Majo datae, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Ander Buch.

1a) Hammer Khlesl II. doc. 229.

concessum est, ut praeter sacras orationes in ipsis urbibus vetitas in rebus divinis libere perpetrandis a nemine interpellari possent. Tum in conventu illo, qui ordinibus Matthiae sacramento adigendis habitus est (cujus initium 26. die Augusto factum) praeter nobilitatis privilegia maxime libera sacra stabilienda illorum animos occupaverunt. Verumtamen quum et Matthias et Cardinalis de Dietrichstein, quominus de postulata sacrorum libertate civitatibus concederetur, acrius repugnassent, Moravici ordines, de novis armis solliciti ab imperatore sibi jamtum intentatis, contenti fuerunt eo, quod Matthias, neminem religionis causa vexatum iri, verbis incertioribus promisit. Quo factum est, ut nobilitas tantum eique subjecti vere libera sacra obtinerent, at regiarum civitatum cives posthac quoque sacra evangelica publice procurare vetarentur. Adactis deinde in verba sua ordinibus, Matthias denuo compellatus 3. die Septembri edictum proposuit, quo saltem idoneum quemque virum, sublato religionis discrimine, tam civitate quam civilibus muneribus donari liceret. Etenim in Moravis omnino ad contrarias religiones lenis enitebat et indulgens animus, qualem Carolus de Zierotin, capitaneus jam creatus, prae ceteris gerebat. Cujus rei indicio est, exempli gratia, quod viri publicis provinciae constitutionibus recensendis et ad codicem Tovaczoviensem revocandis delecti decreverunt, ne ea testamenta, quibus alius cujusdam confessionis sectatores ab hereditate exclusi essent, rata haberentur [2]).

Asperiore ingenio Austriaci erant. Conjuncti Austriae superioris atque inferioris ordines evangelici, priusquam Matthias ad Moravos jusjurandum adigendos profectus est, 19. die Augusto perscripta ei miserunt desideria. Sese auxilio illi lato maxime libera sacra spectavisse; proinde ille in pristinum, qui Maximiliani patris aetate fuisset, statum omnia restitueret; inprimis ad judicia, nulla discrepantis religionis ratione habita, dignissimum quemque admoveret; protestantibus pariter atque catholicis ad honores aditum daret; denique his de rebus ante ipsos sacramento adigendos sententiam aperiret. [3]) Ea fuerunt Austriacorum evangelicorum prima postulata. Secundum quae in Austria superiore politici tres ordines 30. die Augusto, omnium rerum, quae ad religionem spectarent,

---

[2]) Chlumecky 504 sequ.

[3]) Raupach, evangel. Oesterreich, III. Fortsetzung, appendicula XII. A.

consilia inter se communicaturi, propriam societatem ineunt. Quae Maximiliano II. imperatore jurium et privilegiorum suorum conditio fuerit, (tam, quod ad civitates attineat, in civibus, judicibus, senatoribus faciendis, quam omnino in sacris ubique libere procurandis) eandem tunc quoque repetunt atque usurpant; verum ad ulteriora non tenturi constituunt, ut quae civitates evangelicis templis careant, alibi sacris operentur.[4])

In Austria inferiore etiam, postquam Matthias e Moravia rediit, evangelici baronum equitumque ordines (nam ibi civitates a catholicis stabant) nondum redditis sibi liberis sacris in illius verba jurare nolunt. Immo conjuncti jam cum tribus superioris provinciae ordinibus evangelicis Hornam secedunt. Qua re, ut libera sacra sibi concedantur, ante jurandum expugnare volunt; „nam nisi privilegia a majoribus accepta, tam quae ad religionem, quam quae ad ipsorum libertatem spectent, sanciantur, eo ad unum omnes animo sunt, ut quod aequae et Christianae voluntatis sit, adito vel vitae bonorumque periculo obtineant.“[5]) Quam ad rem hac potissimum sententia nituntur. „Non vi,“ inquiunt, „sed voluntate hereditarii subjecti sumus. Jam vero imperator in cessione, quam pactis Libnensibus fecit, planissime excepit, ne provinciarum ordines, nisi secundum ipsorum privilegia, jura atque justa, in Matthiae nomen jurare debeant; et Matthias ipse promisit, omnia se illorum privilegia et beneficia rata habiturum: quocirca ante dicendum sacramentum ex Matthia percontamur, ecquid verbo: omnia privilegia et beneficia, etiam sacra libera significet atque haec talia intelligi velit, qualia Maximiliani imperatoris aetate fuerint. Nos enim, ordines Austriaci, liberi sumus et privilegiis ample ornati ordines; quisque princeps antequam jusjurandum nostrum accipiat, se privilegia nostra tuiturum spondere debet; quidquid decernimus tributi, libero arbitratu nostro offerimus; nobis invitis princeps bellum ultro inferre nequit; nos vero ad arbitrium in praediis nostris dominamur: quae omnia vere hereditariis sub-

---

[4]) Meyer, Londorp suppl. et contin. T. I. lib. II. pag. 223 (in editione anni 1739.) et Luenig, deutsches Reichsarchiv, pars spec., 1. Abtheil., pag. 52. — Perperam narrat Hammer (Khlesl II. pag. 121. in extremo) quum ordines hac societate ineunda ampliorem libertatis modum, quam a Maximiliano imperatore concessus fuerit, vindicavisse dicit.

[5]) Extract eines Schreibens aus Linz vom 29. Septbr. 1608, Biblioth. Berol. MS. Germ. fol. Nro. 83.

jectis minime licent." [6]) Ea fuerunt, quae evangelici Austriae ordines dissererent, atque ex iis primus Erasmus de Tschernembl.[7]) Adversus quos catholici ex jure hereditario in principis nomen ordinibus jurandum esse contendebant, id quod ordines „nullo titulo vel colore" ex privilegiis detrectare possent.[8])

Verum enim vero evangelicorum ordinum postulata lento velut gressu aucta et completa esse videntur. 19. enim die Augusto illi generatim talem in religione statum repetierant, qualis Maximiliano II. imperatore fuisset. Deinde qui Hornam secesserant, 9. die Novembri apertius, ut tribus evangelicis ordinibus (civitatibus ergo comprehensis) libera restituerentur sacra, postulant[9]). Tum Maximilianus archidux recepta intercessione (donec Matthias ad Hungariae diadema accipiendum Posonii versabatur) quum concessionem de religione anno 1571. datam, qua civitates a liberis sacris exclusae erant, sancitum iri promisisset, illi ad priorem, quam Maximilianus imperator anno 1568. fecerat, sponsionem, ne civitates sacrorum causa a nobilitate dirimerentur, sese revocant[10]). Contra quae archidux Matthiae fratris nomine in sententia perstat, qua civitates a sacris libere exercendis excluderentur[11]). Atque hac maxime in re contentio exinde versata est. Jam vero quum ordinum evangelicorum capita, atque inprimis Erasmus de Tschernembl, tam imperatoris artibus, quibus Austriaci in ipsius ditionem redigendi essent, quam illis, quas Christianus Anhaltinus princeps exercebat, opibus plurimum moverentur, exacuta est illa contentio; quibus consiliis autem ordines Austriaci Hungaros et Moravos foederatos in causae suae societatem compellere stude-

---

[6]) Erklaerung ueber das Wort „Erbunterthanen" in Oesterreich, Biblioth. Berol. MS. German. fol. Nro. 83.

[7]) Hujus orationem confer, 4. die Martio, anno 1609. coram Moravorum legatis habitam, Relation der Unter- u. Oberoesterreich. Abgesandten nach Wien p. p. (gedruckt 1610.)

[8]) Hurter VI. 637.

[9]) Declaratio Hornensium ordinum ad Maximilianum archiducem perscripta, Raupach, evang. Oesterreich III. Forts., pag. 188.

[10]) Confer quae evangelicorum ordinum legati Maximiliano archiduci 12. die Novembri reposuerunt, Raupach ev. Oesterr. III. Forts., pag. 190; et distinctius in declaratione, quam Hornenses eidem archiduci 14. die Decembri exhibuerunt, Raupach ibidem, appendicula XIII.

[11]) Ejus declarationes, proditae 27. die Novembri, Hurter VI. 163, et 27. die Decembri, Raupach l. l. III. Forts., appendicula XIV.

bant, producta atque extracta[12]). Et Austriaci praeterea evangelicos imperii principes permovere conati sunt, ut afflictis rebus suis intercessione saltem interposita adessent[12a]). Tandem Carolo de Zierotin, ut Hornenses flectat ordines, contingit. Moravorum legatis sese interponentibus, illi ut Viennae per legationem certaminis deponendi conditiones a Matthia rege postulent, rogantur[13]). Quae legatio ubi anno 1609., die 22. Februario Viennam venit, post longiores disceptationes 19. die Martio Matthiae regi cum ea edictum convenit („die sogenannte Capitulations-Resolution.")[14]) Quo edicto statuitur, ut de controversa templorum possessione peculiares utriusque religionis judices a duobus superioribus ordinibus dandi ad documentorum fidem ex jure patronatus aut ex praescriptione quadraginta annorum decernant. Catholicorum deinde sacerdotum jura in sepulturis usurpata circumscribuntur, et subjectis cavetur, si in sacris exercendis interpellati fuerint. Tum ad officia et munera publica, omni religionis discrimine sublato, pro facultate cuique aditum fore promittitur. Civitatibus denique privilegia de civibus, judicibus, senatoribus creandis restituuntur, ac praeterea rex pollicetur: „sese de civitatibus omnino illud ratum habiturum, quod Moravicis legatis sit professus" — ea autem fides erat, quam voce tantum 9. die Martio dederat: „quod ad libera sacra pertineret, tali imperio sese civitates habiturum, ut nihil iniquitatis et vexationis tolerarent." Hornensium ordinum legati, sententia, quam ipsi hisce verbis subjicerent, definita et explicata, probaverant quidem fidem illam[15]); quae nihilominus, ut erat incertior nimisque ambigua, novarum discordiarum semen ferebat.

---

12) Gindely, Rud. II. u. s. Zeit, I. 270 sequ.; Hurter VI. 114. 172; Chlumecky 538 sequ.

12a) Januario mense, anno 1609., evangelici Austriae ordines ad Saxoniae electorem literas miserunt, in quibus causae suae defensionem per electorem Palatinum (ad hunc igitur primum missa est) tam illi, quam aliis evangelicis principibus missam esse, pro certo sumunt, atque illum sive intercessione sive alio auxilio ipsos adjuturum esse sperant. Pridie Calendas Februarias deinde Saxoniae electori gratias agunt, quod Matthiam per literas rogaverit, ut sacrorum libere exercendorum jus ipsis reddatur. — Tabular. Dresd., Kriegssachen, ungar. oestr. boehm. Kriegswesen, 9165, Drittes Buch, et Viertes Buch.

13) Chlumecky 554 sequ.

14) Meyer, Londorp suppl. et contin. T. I. lib. II. pag. 230; Raupach, evangel. Oesterreich, T. I. appendicula IX.

15) Raupach, evangel. Oesterr., III. Fortsetzung, pag. 217. 219.

In Bohemia quoque interea de religione summa contentio erat. Ibi Rudolfus imperator, neglecto, quod in novissimo ordinum conventu pollicitus erat, Fratres Bohemicos urgere et civitates tentare pergebat, fide catholica astricturus. Calendis enim Septembribus, anno 1608., ad magistrum civium et senatum civitatis Vetere-Pragensis, occasione senatus cooptandi oblata, edictum proposuit: „ne quos Pickardicorum Fratrum coetus institui sineretur; ne qui senatores sacris catholicorum pompis abstinerent, neve paroeciarum, templorum et scholarum administrationem vindicarent; immo ut in cultu divino et doctrina ipsorum tantum sacerdotes sequerentur," (h. e. eos sacerdotes, sive catholicos sive Pseudo-Hussiticos, qui ab archiepiscopo Pragensi inaugurati essent)[16]. Praeter catholicos ergo imperator Pseudo-Hussitas tantum admittere volebat. Verum inter evangelicos ordines ipsos sic jam a republica removendos discidia emerserunt. Namque Andreas comes de Schlick, Lutheranorum caput, aperta epistola professus est: quum ipse et amici confessionem Augustanam sequerentur, nolle se cum Fratribus in consortio quoquam esse[17]. Contra quem Wenceslaus de Budowa Bohemiae protestantes communi inter se junctos esse vinculo contendit.

Dum tales dissensiones per Bohemiam jactantur, imperator ad decidendam, quae in controversiam vocata erat, religionem ex promisso conventum indicere cessabat. Non in 6. diem Novembrem anni 1608., sed in 28. diem Januarium sequentis demum anni ordines convocavit. Et paucis diebus ante quam convenirent, voluntatem velut manifestaturus, Pragense consistorium refecit; cui diserte imperavit, ne quam doctrinam ferret, nisi quae concesso calice catholica duceretur, ut alias quasvis doctrinas rejiceret et quam maxime coerceret.[18]) Ita igitur quum ab imperatore ne Lutherani quidem admitterentur, brevi factum est, ut Fratribus nova societate jungi cuperent. Ac profecto conventus ille, qui Pragae tunc institutus et ad Calendas Apriles usque productus est, eo quod societas illa inita atque absoluta est, potissimum notatur. Initio quidem imperator et catholici Bohemiae officiales civitates a nobilitate dirimere nisi sunt, ac re vera exstitit in illis Georgius Heidel, Veteris-Pragae Primas, Pseudo-Hussitismi sectator, qui

[16]) Apologie der boehm. Staende v. J. 1619, appendicula XXVI.

[17]) Gindely, Rud. II. u. s. Zeit, I. 312.

[18]) Apologie d. b. St. v. J. 1619, appendicula XVIII.

Adamo de Sternberg burggravio, civitates imperatoris voluntati obtemperaturas, reciperet; brevi autem exsurgens contra eum Christophorus Kober, Novae-Pragae legatus, Pragam non minus quam ceteras regni civitates illi addictas esse fidei, cujus in Bohemica confessione testimonium exstaret, cum aliorum assensu professus est.[19]) Ex quibus Pilsenae tantum et Budiegowicii legati catholicorum partes sunt secuti.[19a]) Verum ne nobilitas quidem a principio secum concors fuit. Etenim quum imperator 12. die Februario edictum prodidisset, ne qui sacerdotes, nisi ab archiepiscopo inaugurati, acciperentur, de Fratribus autem ut pristina, quibus repudiati essent, mandata retinrentur,[20]) idem ille Stephanus de Sternberg, qui priore anno Pseudo-Hussitismi patrocinium suscipere conatus erat, jam Lutheranorum nomine orans, ad ordinum conventum de Fratribus removendis retulit, quibus remotis reliqui libere rem consulerent.[21]) Contra quem Weňceslaus de Budowa, Fratribus Bohemicam confessionem probari asseverans exsurgit. Et brevi quum Lutherani, Matthia comite de Thurn potissimo concordiae hortatore, Stephanum de Sternberg deseruissent, conjuncti protestantes, Compactata anno 1567. sublata afferentes, postulant, ut Bohemicam confessionem imperator sanciret.[22]) Exinde Joachimus Andreas comes de Schlick Lutheranae factionis principatum obtinuisse atque adeo praeter ceteros suasisse videtur, ut discidiis depositis omnes uno velut animo in fundamentis illis perstarent Bohemica confessione jactis.[22a]) Itaque quum utriusque factionis

---

19) Gindely, Gesch. der boehm. Brueder, II. 365. 366.

19a) Literae Goedelmanni, legati Saxonici, Pragae (29. die Januario) 8. die Februario datae, Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Viertes Buch.

20) Meyer, Lond. suppl. et cont., T. I., lib. II., pag. 227.

21) Gindely, Gesch. der b. Br., II. 370.

22) Meyer, Lond. suppl. et cont., T. I., lib. II., pag. 228; Gindely l. l. II. 373.

22a) (9.) 19. die Februario Goedelmann, legatus Saxonicus, ita scribit: „In dieser Tractation haelt sich Graf Joachim Andreas Schlick gar wohl, dirigirt und proponirt mehrentheils alles, und mag die kais. Majt. ihn gar wohl leiden.“ Postea autem (15.) 25. die Martio legatus haec refert: „Herr Stephan von Sternberg, des Burggrafen Bruder, welcher bisher allezeit der Staende gravamina der kaiserl. Majt. vorgebracht, hat sich krank gemacht und bei der letzten Audienz nicht sein wollen, derowegen die andern mit ihm nicht wohl zufrieden sind.“ (Tabular. Dresd., Kriegssachen, 9165, Viertes Buch.) Etenim oratore Joachimo Andrea comite de Schlick evangelici ordines pridie imperatorem convenerant; (quo aditu obtento ultimam causae suae defensionem exhibuerunt.) Itaque Stephanus de Sternberg, qui cum Fratribus societatem inire nolebat, per comitem illum loco, quem inter Lutheranos tenuerat, motus esse videtur.

principes jam consentirent, evangelici ordines postulata definientes 27. die Februario ab imperatore petunt, ut et Pragense consistorium et academia potestati suae permitterentur.[23]) Imperator vero, maxime ab archiepiscopo Pragensi et a Zdencone Popelio de Lobkowitz supremo cancellario se regi patiens,[23a]) quum Bohemicam confessionem sancire firme abnueret, evangelici ordines, se ad ulteriores conditiones non esse descensuros prolocuti, auctore Wenceslao de Budowa Calendis Aprilibus tandem arma aptare et suo nomine concilio in curia Novo-Pragensi habendo diem indicere 4. Majum decreverunt. Quo facto, imperatoris nomine burggravius, ut ordines discederent, non potuit non pronuntiare.[24])

Dimisso conventu, ordines evangelici conjuncti externa ope se firmare studuerunt. Legatos enim tam ad Matthiam Hungariae regem, quam ad imperii Germanici electores principesque miserunt;[25]) ac praeterea Moravicorum ordinum conventum, qui in mensem Junium indictus erat, auxilium rogare cogitaverunt.[26]) Germaniae principes, quos adierant, brevi imperatorem pro iis deprecati sunt; et Palatinus elector quidem per literas illi, „Bohemiae ordines non minus, quam alios, primariam sacri imperii partem esse,“ significavit.[27])

Jam vero concilium, quod in curiam Novo-Pragensem indictum erat, quamvis imperator haberi vetuisset, ordines tamen frequentissimi celebraverunt, paucis tantum diebus post quam fuerat con-

---

23) Gindely l. l. II. 374.

23a) (9.) 19. die Martio Saxonicus legatus Pragae haec scribit: „Der oberste Kanzler neben dem Erzbischof treiben dies Werk vornehmlich, geben vor, des Koenigs in Boehmen Juramentum gehe allein auf die sub una, so katholisch, et sub utraque, so Hussiten sind, und nicht auf die Augsburgischen Confessions-Verwandten, alldieweil solche Confession 100 Jahre nach Kaiser Sigismunds Zeiten erfolgt waere; daher sie die Clausel, dass der Religionsfrieden im Reich nicht allerdings confirmiret, inscio imperatore hinein geflickt, damit auch etliche von den Katholischen uebel zufrieden sind. Wenn nicht etliche friedfertige Gemuether gewesen waeren, haette man etliche von den Katholischen in der Landstube zum Fenster hinaus geworfen“. — Tabular. Dresd., Kriegssachen, ungar. oestr. boehm. Kriegswesen, 9165, Viertes Buch.

24) Gindely l. l. II. 382. sequ.

25) Historica narratio de rebus in Bohemia — gestis etc., typis expressa anno 1609., Biblioth. Berol., Varia ad histor. Bohemiae, et „Zwey Sendschreiben vom boehm. Landtage“, Pescheck, Gesch. der Geg.-ref. in B., I. 139 sequ. De quibus libellis vide Excursum I.

26) Chlumecky 622.

27) Apologie, appendicula XX.

stitutum, (9. die Majo). Consociati enim ordines evangelici tenere nitebantur, ut quicunque Bohemicae confessioni se addicerent, ab imperatore in numero eorum haberentur, ad quos regni jura et regis juramentum pertinerent. Valentes concordia et armis, duce Wenceslao de Budowa, evincunt, ut ille 20. die Majo, „se omnes ordines evangelicos, qui Bohemicae confessioni se addicerent, fideles sibi et dilectos subjectos habere," profiteretur simulque „ad statuendum illud, quod de religione caput sit, et alias publicas querimonias disceptandas" diem novo ordinum conventui 25. Majum diceret. Qui conventus ubi 27. demum die Majo initium cepit, illico plurimum nanciscitur momenti, quod omnes fere Pragenses sacerdotes, Pseudo-Hussitismi testes ultimi, obedientiam archiepiscopi conquesti, confessione Bohemica collaudata, ad ordines evangelicos se applicant, „quorum in fidem et tutelam sese recipi cuperent." [28]) Ita Pseudo-Hussitismus re vera dissolutus et sublatus jam non nisi Pragensis consistorii administratorem, sacerdotes duos et Georgium Heidel, Veteris-Pragae Primatem, patronos habuit. Atque ordines evangelici insuper, ut imperator, praeterquam quod confessionem Bohemicam sanciret, idem illud consistorium pariter atque academiam Pragensem omnino sibi administranda et regenda traderet, postulabant. Imperator vero consiliis tam Leopoldi archiducis, quam Wenceslai baronis de Kinsky magis magisque in illos concitatur et inflammatur.[29]) Ordines evangelici, Wenceslao de Budowa usque duce, si quid ab imperatore eorum frustrandorum causa dubie et parum definite promissum est, rejiciunt; quod ille pollicitus est, ita se libera iis sacra redditurum, ut Ferdinandi et Maximiliani imperatorum aetate et semet ipso imperante antehac fuisset, quam maxime indignantur; non ambigue, sed plane et dilucide sibi rescribi volunt. Porro catholicos ordines, ac praecipue Adamum de Sternberg burggravium, interrogant, „num secundum regni constitutiones, si quis in rebus divinis rite perpetrandis evangelicos ordines interpellaturus sit, eum ejusque socios publicos regni hostes judicare et unanimo consensu armis aggredi velint; ordines evangelicos quippe scire velle, ecquid catholicis regni jura et prioris anni decreta rata habere cordi sit." Post multas tergiversationes, urgente Wenceslao de

---

[28]) Historica narratio, et „Zwey Sendschreiben", iis, quos diximus, locis.

[29]) Horum consiliorum rationem uberius fusiusque memoriae tradunt Chlumecky (584. 591) et Gindely (Rud. II. u. s. Zeit, I. 334. 339. 343.)

Budowa, catholici affirmant. Inde illi infestissime Popelio de Lobkowitz, supremo cancellario, exardescunt; in quem hisce verbis invehuntur: „illum evangelicorum ordinum opinione contra regni jura ordinumque decreta tumultus regno injiciendi primarium auctorem atque ita patriae hostem esse.“ Imperatori denuntiant: „si hujusmodi inquietis ingeniis amplius auscultaverit et ab his se regi passus sit, ordines quum e re ipsius tum e re publica legitimam inter se defensionem paraturos.“ [30]) Simul imperatori Majestatis literarum, quae postmodo concessae sunt, rationem a semet ipsis jam descriptam exhibent, de probanda ea postulantes.[31]) Tum jam novis opibus firmantur, foedere cum evangelicis Silesiae principibus ordinibusque juncto.

Quam enim legationem superiore anno Silesii in Bohemiam ad imperatorem et Matthiam archiducem miserant, ea jam illo tempore cum Matthia comite de Thurn clandestina necessitudinis cujusquam vincula contraxerat. Deinde principes atque ordines Silesiaci, conventu, quamvis vetuisset imperator, instituto, prolocuti erant: quemadmodum subjecti obedientia tenerentur, ita vicissim imperatoris esse, illorum privilegia tueri et observare.[32]) Tum vero ad Bohemiae ordines legatos miserunt. Qui 17. die Junio, conventu dato, dubie admodum ad querimonias relatas imperatorem rescripsisse, et protestantes quidem in Silesia quam maxime a catholicis urgeri, ut templorum, paroeciarum et scholarum possessione cederent, conquesti,[33]) cum Bohemicis ordinibus 25. die Junio foedus fecerunt, quo altera pars ut alteri, injuria per catholicos illata, armis subveniret, obligabatur. Die post, quum imperator de permittendo consistorio et academia Pragensi pergeret recusare ac praeterea liberorum sacrorum in civitatibus constituendorum rationes certa lege definire nollet,[34]) evangelici Bohemiae ordines, quae jam dudum de defensione consuluerant et perscripserant, efficere decreverunt. Quam gravissimum decretum. Universus enim populus, certo delectus modo descripto, arma capere jussus est; vectigalia ab omnibus ordinibus exacta; tres duces

---

30) Historica narratio, et „Zwey Sendschreiben“.

31) Gindely, Gesch. der b. Br., II. 405. 412; Meyer, Lond. suppl. et cont. T. I. lib. II. pag. 229.

32) Wuttke, die Entwicklung der oeffentl. Verhaeltn. Schlesiens, I. 261.

33) Historica narratio, et Zwey Sendschreiben.

34) Gindely, Gesch. der b. Br., II. 425.

militi et scribendo et conducendo praefecti; ad totam hanc „defensionem“ gubernandam ex singulis ordinibus deni viri electi, directores — omnium nimirum consiliorum illorum principes. Quorum erat, de milite idoneis locis disponendo constituere, externam opem quaerere, vocationes judiciales num ratae an irritae habendae essent, dijudicare, denique Bohemicarum rerum summam obtinere.[35]) Quo decreto lecto atque edito, seditiosi Bohemiae ordines Georgium Heidel, Pseudo-Hussitam illum, patriae proditorem judicant. Tum conjurant omnes et discedunt.[36])

Directores inde de obtinendis protestantium postulatis cum imperatore egerunt; cujus nomine jam, auctoritate Popelii de Lobkowitz, Wilhelmi Slawatae et Jaroslavii de Martinitz tandem compressâ, Adamus de Sternberg burggravius, ad indulgentiam propensior, discidii componendi conditiones ferebat[37]). Nitebantur autem directores, ut imperator illam Majestatis literarum rationem, quam ordines descripserant descriptamque jam exhibuerant, sanciret. Qua in re poscenda adjuti sunt non solum communi Bohemorum seditione atque armis, sed etiam quum oblata sibi per Christianum principem de Anhalt spe auxilii a Germanorum evangelicorum Unione afferendi[38]), tum periculo imperatori jam imminente, ne Matthias frater rebus Bohemicis sese admisceret. Cui id temporis a quodam ex protestantibus, quibuscum ei consuetudo erat, suasum est, ut de iis, quae in Bohemia tunc in controversia versarentur et brevi decidenda essent, juxta imperatorem Bohemicis ordinibus caveret: nam ita fore, ut quandoque horum ordinum bono titulo contra illum defendendorum commodam causam reperiret[39]). Imperator igitur ad tantam jam inopiam redactus, ut Matthiae fratri facile ejus Bohemico regno spoliandi spes ostendi posset, tandem instantibus hujus regni ordinibus cedens, 9. die Julio Majestatis literas subscripsit. Per quas literas Pragense consistorium, quod ad id locorum usque Pseudo-Hussitismi firmamentum fuerat, evangelicis ordinibus Bohemica confessione nixis et conjunctis tanquam forum ecclesiasticum administrandum traditur; nec minus academia Pragensi iis permissa, simul conceditur, ut

---

[35]) Pescheck, Gesch. der Geg.-ref. in B., I. 214.

[36]) Gindely, l. l. II. 430.

[37]) Gindely, l. l. II. 433.

[38]) Chlumecky 598. 603.

[39]) Hammer Khlesl II. doc. 305., de quo documento conferas Excursum II.

tam ad academiam quam ad consistorium tuenda et custodienda certos quosdam sui corporis viros, quos imperator recusare nolit, eligant defensores. Omnino autem illius, quae protestantibus cum catholicis futura sit, rationis regula ponitur, ne quis sive ex superioribus liberis ordinibus, sive ex civitatibus, sive ex plebe rusticana, a religione sua vi deducatur, ne per magistratus quidem. Eodem die inter directores et catholicorum ordinum paucitatem pactio convenit, quae ideo momenti maximi futura erat, quod de protestantium templis in regio dominio libere aedificandis Majestatis literarum lex dilucidius definita est. Regio autem dominio annumerabantur etiam clericorum bona[40]).

Qua victoria parta, directores Pragam ad conventum ordines revocaverunt, eaque firmata in horum manus mandatum honorem reddiderunt. Verum etiam Silesiae principibus ordinibusque imperator favore Bohemorum interposito permotus, supremis Bohemiae officialibus consultis, 20. die Augusto Majestatis dedit literas. In quibus Augustana confessio pro legitimae concessionis fundamento ponitur. Cui confessioni qui ex Silesiae principibus ordinibusque addicti sint, eorum consistoria sanciuntur iisque nova instituere permittitur. Deinde vindiciae, quibus altera pars alterius ecclesiastica bona, inprimis templa et scholas, petat, secundum praesentem possessionem dicuntur, atque insuper principes ordinesque novorum templorum et scholarum condendorum jure donantur. Tum certiore illa et definitiore lege ex pactione, quae inter Bohemiae protestantes et catholicos juncta erat, ascita, evangelicis Silesiis, ubicunque sua templa et coemeteria nondum habeant, eorum constituendorum jus impertitur. Denique Bohemicarum Majestatis literarum exemplo Silesiis quoque rationis, quae alteri parti cum altera intercedat, regula statuitur, ne quis omnino, ne per magistratus quidem, de fide sua vi detrudatur.

Binis his Majestatis literis concessis, in provinciis Austriacis evangelicorum ordinum consilia quodammodo expleta sunt. Nam Posoniensi et Acvancziciensi foederibus, Bohemicis viginti quinque capitibus et Libnensibus pactis privilegia ordinum munita sunt; deinde autem sacrorum libertate Moravis impertita, Austriacis concessa — ac postea iterum sancita — Bohemis et Silesiis

---

[40]) Pescheck, Gesch. der Geg.-ref. in B., I. 184. — De clericorum bonis conferas, quae exposuit Gindely, Rud. II. u. s. Zeit, I. 354.

donata, illorum studia hanc quoque in partem certum habuerunt exitum. Tamen provinciarum confoederatio, quamquam tunc inter Hungariam, Austriam et Moraviam demum inita erat, brevi in omnes provincias extendenda denuo ordines movere et occupare coepit, quum et Rudolfus imperator, a nonnullis militum praefectis belli appetentibus incitatus, et Matthias rex — mox illo mortuo imperator — factioni Hispanicae atque inprimis Cleselio episcopo nimium obtemperans, sincere promissa non servarent, sed variis artibus laedere ac rescindere studerent. Unde factum est, ut proximis deinceps annis ordines in omnibus provinciis Austriacis iterum et saepius ad illud firmioris conjunctionis vinculum jungendum niterentur, dum anno tandem 1619. certis legibus confoederationem provinciarum condiderunt.

Excursus I.

In enarrandis Bohemicorum ordinum studiis, qualia conventus anno 1608. et 1609. habiti repraesentaverint, hos praecipue quatuor libellos secutus sum:

Diarium Anonymi de adventu gubernatoris Hungariae, Archiducis Matthiae in Bohemiam anno 1608. etc., apud Dobner, monumenta historica Bohemiae, T. II. pag. 302.

Kurtze und wahrhafftige Verzeichnuss der Boehmischen Geschichte, so in juengst abgeloffenem 1608. Jahr sich zugetragen etc., gedruckt 1609, in Biblioth. Berol., Varia ad historiam Bohemiae.

Historica narratio de rebus in Bohemia inter proxima regni comitia in negotio religionis gestis etc., anno 1609., ibidem.

Zwey Sendschreiben vom boehmischen Landtage etc., apud Pescheck, Gesch. der Geg.-reform. in Boehmen, I. 139, et in Bibl. Berol., Varia ad historiam Austriae.

Quorum libellorum bini semper ita inter se cohaerent, ut separari alterum ab altero neutiquam possit, primum enim Diarium Anonymi et „Kurtze Verzeichnuss," deinde Historica narratio et „Zwey Sendschreiben". Nam si accuratius inspexerimus, Germanicum utrumque libellum ex eo libello Latino, quem ei respondere dixi, translatum esse, facile reperiemus. Hac in ratione secundum illorum libellorum par esse, vel puncto temporis patet, sed minus evidenter de primo pari cognoscitur, quippe cujus libellos duos multis locis paululum inter se discrepare videamus. Verumtamen alioquin ex hisce discriminibus, Latinum libellum primum fuisse, ex quo alter conversus sit, neque contrariam ejus rei rationem esse, facile ostendetur, atque his quidem ex locis, quibus, sicut nonnullis aliis, duo libelli illi maxime inter se discrepant, clarissime patebit.

Diarium Anonymi initio anni 1608. Hungaricorum ordinum conventum Budae a Matthia habitum esse memoriae tradit; quem errorem interpres emendat; sin contrariam rationem intercessisse malimus, profecto, hunc errorem ab interprete demum insertum esse, a vero abhorrere videtur. Deinde quum de viginti quinque capitibus illis, 23. die Majo Pragae perscribendis, narratur, in Ger-

manico libello de ratione, quam Stephanus de Sternberg secundum ordinum voluntatem exinde inierit, aliquid additur. Tum Diarium Anonymi (pag. 310. apud Dobner) haec verba habet: Ivimus itaque hora tertia horologii germanici post meridiem, etc.; „Kurtze Verzeichnuss“ (pag. 14.) contra: Sind also die Evangelischen, in der dritten Stunde, etc. Qua verborum discrepantia manifestissime, nisi fallor, Diarium Anonymi prius et ab arbitro quidem illas res lucidius et expressius adumbrante scriptum esse, demonstratur. Porro quum Diar. Anonymi (p. 315.) Silesiorum legatos mense Junio ab imperatore simpliciter, ut privilegia confirmaret, postulavisse memoriae prodat, altero libello (pag. 24.) accuratius illi postulavisse narrantur, ut et sacra libera sibi darentur et alia privilegia restituerentur ac sancirentur. Denique alia omitto, ne longus sim. Nam satis jam Germanicum libellum, quibusdam emendationibus adjectis, ex Latino libello translatum esse apparebit. Pariter autem, et longe evidentius, quum literae, quae inscribuntur „Zwey Sendschreiben etc.,“ ex Historica narratione sint translatae, quatuor libelli illi in duos tantum fontes rediguntur.

Verum inter duos libellos Latinos illos, primos ergo fontes habendos, mira intercedit cognatio, ex qua haud scio an auctorem, cui ascribendi sint, conjicere nobis liceat. Uterque enim libellus in duobus Bohemicorum ordinum conventibus versatur, in quibus, dum de religione potissimum controversia agitatur, Wenceslaus baro de Budowa inter omnes ordines primas agebat. In utroque deinde libello praecipua hujus viri ratione habita, alii Bohemicorum ordinum principes prorsus fere obscurantur. Tum si stilo judicandum est, tantum quod in Historica narratione politior paulo, quam in Diario Anonymi esse videtur, perspicua tamen inter eos libellos similitudo cernitur. Utrumque igitur ejusdem auctoris nomini addicendum esse judico. Quem auctorem hac ratione facile conjectura assequi poterimus. In fine enim Historicae narrationis (pag. 17.) adjecta est epistola, Pragae 8. die Junio, anno 1609. data, (quae deest in Germanicis literis „Zwei Sendschreiben.“) Non nominantur quidem, et a quo et cui haec epistola inscripta sit; sed uterque facillime his vestigiis indagari potest. Namque epistolae auctor alteri haecce verba scribit: „Quod Caesareae Majestati, exortis nuper in curia Novo-Pragensi turbis, ea retulisti, quae inter nos — contulimus, tibi non modo meo, sed et omnium ordinum nomine, summas ago gratias.“ Jam vero quis potuit

„Caesareae Majestati ea referre, quae Bohemici ordines inter se tunc contulerant?“ Nemo nisi Adamus de Sternberg burggravius, qui 9. die Majo supremorum Bohemiae officialium princeps, in curiam illam ascendit, his verbis ordines placaturus: „Caesaream Majestatem omnes status evangelicos in curia Novo-Pragensi congregatos pro suis dilectis et fidelibus subditis agnoscere.“ (Historica narratio, pag. 6.). Quis porro „omnium ordinum nomine gratias agere“ potuit? Nemo nisi Wenceslaus de Budowa, qui illo die Adamo de Sternberg omnium ordinum nomine jam responderat. Quin etiam infert hoc responsum epistolae nostrae auctor, dicens: „Recordaris, me tibi dixisse, quod nonnulli sub praetextu immoderati, inconsiderati zeli, *stabiliendae erga Romanum pontificem absolutae potentiae*, ad res aliorum et suas magis, quam ad Imperatoris promovendas proni sint: ut, debilitatis viribus politici Magistratus, eidem Magistratui suo per sacerdotes magis imperent, quam illi pareant. Verum haec perversa consilia *qualem exitum elapsis annis habuerint, luculenti testes sunt Ungaria, Austria et Moravia.* Unde hoc? quia invidebant Suae Caesareae Majestati tot illustres contra Turcas victorias, tam remotas splendidissimas legationes: quibus utrisque Sua Majestas ipsum Carolum V. bellicosissimum illum imperatorem superavit.“ Quibus verbis comparetur responsum, quod Wenceslaus de Budowa in illo Bohemicorum ordinum concilio Adamo de Sternberg reddidit (Historica narratio, pag. 6:) „Quicquid hactenus“ — inquit — „aliter cum Statibus, quam decuerat, gestum fuit, id nonnullis malis politicis consiliariis imputandum; qui *sub praetextu propagandae Catholicae Religionis jam nonnullis regnis et provinciis imperatorem privarunt* et ex hoc regno quoque per dissidia ordinum extrudere tentant.“ Num forte adhuc dubium esse potest, quin qui hoc responsum Bohemicorum ordinum nomine Adamo de Sternberg dederit, et epistolae nostrae auctor unus idemque sit, Wenceslaus de Budowa?

Quid vero? Unde factum esse putabimus, ut haec Wenceslai de Budowa epistola illi Historicae narrationi adjuncta sit? et unde factum esse potest, ut in ea ipsa epistola, quod ab ejus auctore quondam Adamo de Sternberg responsum erat, consentiente prorsus sententia, verbis tantum plenioribus, quam in Historica narratione, prolatum sit? Satisne hoc conclusum videtur, si Historicae narrationis scriptorem eundem esse dicimus, qui illud responsum reddidit et illam epistolam scripsit, Wenceslaum de Budowa, qui

tota Historica narratione quam maxime primo loco positus sit? Ille utique harum literarum scriptor in exordio de semet ipso profitetur: „quum αὐτόπτης testis horum omnium fuerim"; et Wenceslaum de Budowa de celeberrimo illo Bohemorum conventu, qui anno 1609. habitus est, narrationem edidisse constat. (Cf. Pelzel, Abbildungen boehmischer Gelehrten, apud Peschek, Gesch. der Geg.-reform. in Boehmen, I. 432.) Verum enim vero si Wenceslaus de Budowa Historicae narrationis auctor haberi potest, haud facile errabimus, eundem etiam Diarii Anonymi auctorem esse judicantes. Quam conjecturam jam Dobner elocutus est (in monumentis historicis Bohemiae, II. 301); sed huic rei certiorem etiam fidem haberi velim.

Jam quod ad historicam duorum illorum fontium fidem attinet, in Diario Anonymi quidem temporis maxime ordinem et singularum rerum diligentiam erroribus quibusdam sparsis paullulum disturbata esse negari nequit. Ibidem praeterea quae Bohemici ordines de libera religione desideraverint, ea multo magis premuntur, quam quae de restituendis privilegiis concupiverint; itaque quum narrentur illi etiam politica ratione plura postulasse, tamen hujusmodi postulata non memoriae produntur. Ac similiter in Historica narratione illorum studiis non in omnem partem explicitis, consociatorum ordinum evangelicorum actiones inprimis praedicantur. Catholici ii contra, pauci sane, qui non ex numero supremorum regni officialium erant, quid consiliorum ceperint, in tenebris manet, et alia quoque consilia tum aliorum animis agitata, veluti quae Wenceslaus de Kinsky molitus sit, ne attinguntur quidem. Contra evangelici ordines, nobiles certe, quid spectaverint, quid egerint, quid perfecerint, quibus animis impulsi et incitati sint ad causam suam obtinendam, magna perspicuitate atque evidentia describitur.

Quos libellos jam pridem historiarum scriptores praecipuos fontes judicavisse videntur, ex quibus rerum annis 1608. et 1609. in Bohemia gestarum memoriam haurirent. Namque quae in libro, qui inscribitur „Le Mercure Français", a pagina 382. usque ad paginam 386. de concilio Bohemicorum ordinum anno 1609., mense Majo, in curia Novo-Pragensi habito memoriae traduntur, ea partim ad verbum ex priore Historicae narrationis parte transscripta sunt, ita tamen, ut etiam aliam illarum rerum relationem respectam esse oporteat. Ut taceam enim de nonnullis erroribus hic illic admixtis — veluti quum illud ordinum decretum, ut concilium in

curia Novo-Pragensi habendum indiceretur, sub finem Aprilis mensis factum esse narratur — quod nomina legatorum afferuntur, quos Bohemi ad imperii principes et ad Matthiam Hungariae regem miserunt, quodque per vim ordines curiae illius aditum sibi aperuisse referuntur, ea non ex Historica narratione nostra sumpta, sed aliunde hausta sunt. Porro si ea, quae iisdem de rebus comes de Khevenhiller in annalibus Ferdinandeis (T. VII. pag. 181 sequ.) memoriac prodidit, accuratius legerimus, similiter hunc rerum auctorem priorem Historicae narrationis partem ante oculos habuisse intelligemus, id quod ex verbis, quae Adamus de Sternberg burggravius imperatoris nomine in curia Novo-Pragensi fecerit, pariterque ex verbis, quae Wenceslaus de Budowa ei responderit, clarissime apparet; nam haec verba, ut in annalibus Ferdinandeis leguntur, prorsus fere cum Historica narratione congruunt.

Verum etiam alio loco inter hos annales comitis de Khevenhiller et librum illum „Le Mercure Français" mira intercedit cognatio, quae si non ad libellorum nostrorum alterum referri potest, tamen ad ultra concludendum ansam dabit. Etenim ea, quae de rebus anno 1608. in Bohemia gestis in Francogallico libro narrantur („Mercure Français", pag. 236 sequ.) tribus maxime locis cum annalibus Ferdinandeis (T. VII. pag. 9 sequ.) evidentissime et ad verbum paene conveniunt. Qui loci sunt narratio primae legationis, quam Cardinalis de Dietrichstein imperatoris nomine ad Matthiam archiducem suscepit, et consiliorum, quae imperatori hac legatione facta dedit; deinde breviarium Bohemicorum viginti quinque capitum, quo loco in Francogallico libro duo tantum capita in annalibus Ferdinandeis allata omittuntur, alia autem, quae omnino quidem recepta sunt (nam non de omnibus factum est) iisdem fere verbis memorantur; tum breviarium Libnensium pactorum. Et hoc quidem loco duarum illarum historiarum convenientia manifestissima est; nam si praetermitto, quod in annalibus Ferdinandeis quatuor Libnensium pactorum conditiones, quae in altero libro afferuntur, desunt, quodque in conditione primo loco posita annales illi paucis verbis minus integri reperiuntur, omnes aliae horum pactorum conditiones eodem prorsus ordine iisdemque verbis in utroque libro commemorantur. Quae omnia quum ita sint, comitem de Khevenhiller et Francogallici illius libri auctorem in rebus anni 1608. enarrandis perinde eundem fontem habuisse oportet, ac de rebus anno insequenti gestis priorem Historicae narrationis partem re-

spexerunt. Jam vero Diarium Anonymi nostrum fons ille fuisse non potest; alii ergo libelli aequales de omnibus rebus illis scripti esse videntur, et non modo scripti, immo etiam prelo subjecti et vulgati. Nam in Leupoldi annalibus Iglaviensibus, pag. 230., haec verba legimus: „Wie es ferner mit dem Wotschkaischen (Bocskay'-schen) krieg ergangen, findet man in *gedrukten tractetlein*, auch in der Relation des Franken.“ (Qua relatione haud scio an ille dictus sit liber „Le Mercure Français“.) Fuerunt ergo libelli de seditione Bocskayana, fuerunt haud dubie etiam aliis de rebus illo tempore gestis, et Chlumecky quidem, „Carl v. Zierotin“, pag. 500. de rebus anni 1608., praeter Diarium Anonymi et libellum „Kurtze und wahrhaftige Verzeichnuss“, duos utique libellos, alterum Latinum, alterum Bohemicum, editos esse testatur; sed fueruntne hi omnes libelli his de rebus editi? Quod minus crediderim.

In bibliothecis regiis tam Berolinensi, quam Dresdensi, certe alios libellos, quam de quibus supra dixi, non reperi; nam licet bibliothecae illae amplissimam libellorum aequalium copiam habeant, tamen inde a bello tricennali ineunte demum solidius hujus copiae initium factum est. Verum enim vero si quis hanc ob causam, plures libellos ex annis 1608. et 1609. omnino non relictos esse, judicaverit, eum nimium conclusisse existimem; immo ut ex historiae usu patefiat, optem, quibus locis tales libelli adhuc exstent — si quidem temporum vicissitudinem superaverunt.

Excursus II.

Quod anno 1609., dum in Bohemia de concedendis Majestatis literis agitur, Matthiae regi a quodam ex protestantibus, qui circa eum essent, suasum esse tradidi, ut de literis illis juxta imperatorem Bohemis caveret, sententia innixus sum Matthiae dicta, quae apud Hammer in documentis descripta exstat, Khlesl II., doc. nro. 305. Hic rerum auctor quidem sententiam illam inter alia documenta ex anno 1611. relicta exhibet — in contexta oratione, pag. 281. ejusdem voluminis, incredibile lectu vel Cleselio episcopo auctori ascribere vult — atque etiam Chlumecky, „Carl v. Zierotin“, pag. 751. idem documentum spectavisse videtur, quum sententiam quandam anno 1611. Matthiae dictam exponit. Verum ea ipsa sen-

tentia, documento illo tradita, non nisi ad annum 1609. referri potest, et ad illud quidem tempus, quo Bohemiae directores cum imperatore de subscribendis Majestatis literis agebant, quo imperatorem eas literas subscripturum esse, pro certo jam sperari poterat. Quibus de causis hoc ita mihi videatur, paucis jam exponam.

1.) In sententia illa haecce verba leguntur: „die *nunmehr* gehuldigten Lande des Koenigs Matthias", quae significatio anno 1611. haud facile amplius adhiberi potuit.

2.) Commemoratur: „die *juengste* Wienerische Capitulation", quo edicto rex promiserit, sese pro cujusque facultate, neque ulla discrepantis religionis ratione habita, ad tribunalia et munera idoneos viros admoturum esse; his autem verbis non nisi edictum anno 1609., die 19. Martio, propositum („Capitulations-Resolution") dictum esse potest. Quod edictum conferatur, Meyer, Londorp suppl. et contin., T. I., lib. II., pag. 230, et Raupach, evangel. Oesterreich, T. I., appendicula IX.

3.) Verba sunt: „der Boehaimischen Staende in *verschinem* Landtag gegebene Expectanz"; vocabulum „der verschine" idem vero est quod „proxime antecedens sive superior"; eo igitur vocabulo Bohemicorum ordinum conventum illum, quo Matthiae succedendi spes facta sit, nuperrime demum fuisse, significatur.

4.) Conditiones, de quibus praesenti tempore in Bohemia agatur et Matthiae juxta imperatorem sit cavendum, comparantur cum aliis conditionibus, de quibus Matthias, quominus Maximilianus archidux juxta se caveat, non recusaverit. Quod factum est de illius edicti conditionibus, quod vocatur: „Capitulations-Resolution". 16. enim die Martio anni 1609. Matthias rex Hornensium ordinum legatis nuntiari jussit, sibi conditionum, quae jam convenissent, subscribendarum tantisper modo moram esse, dum Maximilianus archidux, „qui juxta se subscriberet", ex peregrinatione rediisset. Atque etiam 19. die Martio iterum ille, se nil nisi Maximiliani fratris, „qui juxta se de conditionibus illis caveret", responsum exspectare professus est. Allato demum nuntio, Maximilianum, qui in Stiria tum versabatur, in praesens quidem non subscriptarum sibi conditionum veniam petere, alioquin autem id in se recipere, tunc primum Matthias, etiamtum ordines ad nomen ab illo subscribendum vocans, edictum edidit, quod ipse jam subscripserat. (Relation der Unter- und Oberoesterreichischen Abgesandten nach Wien etc., pag. 119. 124.) Verum si quae conditiones, de quibus

in Bohemia ageretur, cum hoc Matthiae regis edicto componendae erant, haud facile ita illae, quae anno 1611. in controversiam vocatae sunt, significari poterant, sed Majestatis literarum conditiones tantum, quippe quae non minus, quam Austriacum edictum illud in liberis sacris concedendis versarentur.

Illam igitur sententiam ad annum 1609. delegandam esse censeo. Sed ultra etiam procedo; eam ipsam enim sententiam esse judico, quam Hurter, VI. 195, his verbis significat: „deren Inhalt wir aber nur aus der Gegenschrift kennen". Quae rescripta illi sententia in eodem Hurteriani libri volumine, pag. 646., descripta exhibetur; quod in ejus exordio alterius sententiae argumentum traditur, mirifice cum nostrae sententiae argumento congruit; clausula modo, quae ibi affertur, quaeque argumentum omne paucis complectitur, in Hammeriano sententiae nostrae exemplari deest; sed ea facile fortasse parvula exscribendi levitate omitti potuit[1]).

Omnino videlicet Hammer in „Cleselii vita" mirum quam indiligens fuit. In quibuscunque enim literarum monumentis, certo tempore non indicato, diei atque anni ascribendi periculum fecit, nunquam fere non erravit. In documento 315. (vol. II.) exempli gratia capita leguntur, quae Bohemici ordines in conventu quodam proposuerunt; quae capita Hammer in annum 1611. delegat (conferas in eodem volumine paginam 256. contextae orationis), quum, si nihil aliud, Cleselii „Cardinalis" titulus, qni in capite 28. repeDriatur, ea longe posterioris aetatis esse, clarissime eum docere potuerit; nam Cleselius anno 1616. demum dignitate illa ornatus est. Porro documentum 862. (in vol. IV.) epistola est, a superioris Austriae ordinibus ad Cardinalem quendam et inferioris Austriae ordines data; in ea Hammer ad suum plane arbitrium Calendas Junias anni 1618. ascribit, quamvis, ut ipse refert, haec epistola, in tabulario ordinum Austriae inferioris asservata, 8. diem Decembrem ejusdem anni exhibeat, et maximo jure quidem, quippe in qua irruptio Bohemorum, in Austriam inferiorem facta commemoretur; quae initio mensis Decembris demum facta est. (Cf. K. A. Mueller, 5 Buecher vom boehm. Krieg, pag. 69.) Ad epistolam in prius tempus transferendam Hammer hac scilicet allocutione: „Hochwuerdigster Cardinal", quam Cleselio dictam putavit, seductus esse videtur.

[1]) Num forte missio comitis de Fuerstenberg, anno 1609., mense Julio, ad Bohemos facta, quam Chlumecky in pag. 609. commemorat, ex sententia nostra nasci potuit?

Vel majore incuria contextam orationem scripsit. Quicunque, quae ibi ab eo narrantur, cum documentis in altera cujusque voluminis parte exscriptis contulerit, gravissimos errores reperiet. Nullum enim nomen, nullus locus, nullus dies, nullus numerus pro certo putari potest; sin iis literarum monumentis, quae Hammer ad sententiam tantum in contextam orationem neque ad verbum inter documenta inseruit, confidere vellemus, profecto tabularia, ex quibus assumta sunt, nobis inspicienda ibique exempla prima evolvenda essent. Qualem incuriam quaevis fere pagina ostendit. Componatur exempli causa in secundo volumine de pacis conditionibus, quas Cardinalis de Dietrichstein anno 1608., mense Majo, imperatoris nomine Matthiae proposuerit, quas ab hoc retulerit, narratio cum documentis, quotquot ea ipsa de re in altera ejusdem voluminis parte typis expressa sunt: quam multa illic parum accurate, falso tradita! In tertio autem volumine, pag. 236, quam rogationem Matthias imperator anno 1617. ad Bohemicorum ordinum conventum tulit, ut Ferdinandus archidux successor fieret, ea in 3. diem Majum refertur (his enim verbis: „zwei Tage nach der dem Erzherzog im Vertrauen gegebenen Nachricht.") Jam vero confeferantur in eodem volumine (doc. 706.) eae ipsae literae, quibus ita, ut ait Hammer, archidux certior factus est; ibi haec verba leguntur: „Heut haben Ir. Mtt. — zu berathschlagen begehrt, — man soll Ir. M. satisfaciren und den Landtag auf den *Junius* ausschreiben." Deinde conferatur documentum 709., ubi accuratius traditur: „welche (sc. die Behamischen Staende) — sich ainhellig verglichen, das Ir. Mayest. den *5. Juni* einen Landtag ausschreiben sollen." Postremo conferatur Cleselii Cardinalis epistola, Pragae 8. die Junio data, doc. 714.; ubi reperiuntur verba: „Ir. Mayest. (haben) Erzherzog Ferdinando die boehmische Cron *gestern in wenig stundten* erhalten." Sed forsitan Hammer omne tempus inter 3. diem Majum et 7. diem Junium interjectum non nisi paucas existimaverit fuisse horas.

Nonnulla literarum monumenta ex tabulario Dresdensi collecta.

1. Literae Goedelmanni, legati Saxonici, Pragae 23. die Aprili (3. die Majo) anno 1608. datae.

P. P. Morgen wird der Erzherzog zu Czaslau ankommen, die kais. Majt. aber hat den Staenden in Beheimb verboten, daselbst zu erscheinen, ob sie nun pariren werden, gibt die Zeit. Mehrer Theil der Beheimb sind auf Ihrer fuerstl. Dl. Seiten, und moechte sich in Kuerze, wo Gott der Allmaechtige nicht ins Mittel kommt, auch allhier eine grosse Veraenderung im Koenigreiche zutragen. —*) Postscriptum. Die Geheimen Raethe schicken ihre Weib und Kinder und Hausgeraeth allgemach hinweg. Demnach auf dem andern Theil es nunmehr an Geld mangeln soll, ist zu besorgen, dass die Heiducken einen Streiff thun, und diese Stadt gepluendert werden moechte. Des Tilly und Trautmannsdorffs Reiter hat man in die Stadt herein legen wollen, die Beheimb haben aber darein nicht gewilliget, sollen nach dem Carlstein, do die behemische Kron liegt, gezogen sein.

2. Literae legatorum Saxonicorum et Brandenburgicorum Pragae 8. (18.) die Majo datae.

P. P. Wir sind gestern von Ihr fuerstl. Dl. (Erzhzg. Matthias) zu Colin gen Hof gerufen und gefuehrt worden, do dann I. Dl. durch ihren Kanzler Krenberg in Gegenwart vieler Herren uns anzeigen lassen, dass sie sich wohl erinnerten, was wir vor etlichen Tagen im Namen und aus Befehl Ew. churfuerstl. Gn. Gn. angebracht, haetten uns gern etwas eher abgefertiget, wenn es die vielfaeltigen Geschaefte haetten leiden wollen. Es liessen aber I. fuerstl. Dl. hinwiederum Ew. churfuerstl. Gn. Gn. alles liebs und guts vermelden und haetten die geschehene Abfertigung von Ew. churfuerstl. Gn. Gn. ganz freundlich vermerkt und aufgenommen, weil sie aber befinden, dass Ew. churfuerstl. Gn. Gn. der Sachen

*) Tali lineola, aliquid aut aliunde jam notum aut minoris momenti omissum esse, significare volui.

nicht genug informirt, — so haetten I. Dl. anjetzo eine wahrhaftige Relation stellen lassen, dieselbe uns zuzustellen, — waeren auch wohl zufrieden, dass solche Sachen den andern Mitchurfuersten communicirt werde.

3. Literae quatuor legatorum Saxonicorum Pragae 10. (20.) die Majo datae.

P. P. Die Boehmen sind zum Landtage in grosser Anzahl stark angekommen, aber die Propostition ist bis auf den Donnerstag verschoben. — Es wird insgemein gesagt, es solle der von Liechtenstein und Herr Carl von Zerotin herein, und dagegen Herr Schmirsitzky und Herr Terczka hinaus als Geisel zum Erzherzog geschickt werden. Sonsten macht man sich jetzt allhier zur Defension gefasst, es kommt aus den Kreisen viel Volks an, und ist Jedermann, soviel wir vernehmen, wohl gemuth, welches wir zu unsrer ersten Anherkunft gar anders gefunden. — An das Wasser haben I. Maj. 1500 Pferde und 1000 Musketiere gelegt, auch aus Schlesien und andern Orten ist Kriegsvolk angekommen, und es werden ueber das Landvolk lauter deutsche Befehlshaber geordnet, welche allein klagen, dass sie kein Ordinantze herausbringen koennen. Es troestet sich auch Jedermann wohl zu der Schlesier und Lausitzer Bestaendigkeit; wenn dieselbe erfolgt, und die Boehmen bei ihrem Koenige festhalten, so wird es, ob Gott will, mit Ihrer kaiserl. Maj. keine Noth haben.

4. Literae legatorum Saxonicorum 13. (23.) die Majo datae.

P. P. — Diesen Morgen haben Ihre kais. Maj. in den Saal geschickt und den Staenden insgesammt vermelden lassen, Ihre Maj. wuerden berichtet, dass etzliche unter ihnen zu Ihrer fuerstl. Dl. Erzherzog Matthias sich zu schlagen und Ihre Maj. zu verlassen bedacht, dessen wollten sich Ihre Maj. nicht versehen, sondern sie hiermit ihrer Pflicht erinnert haben. Darauf sie einmuethig die Antwort gegeben, es waere ihrer keinem in den Sinn gekommen, sie wollten bei Ihrer kais. Maj. leben und sterben, baeten dieselbe, ihnen den Ansager namhaft zu machen, den wollten sie in Stuecke zerhauen. — Die Schlesier sollen sich gar standhaft gegen Ihre Maj. erklaeren, und wenn sie beneben den Boehmen dabei bleiben, wird es, ob Gott will, keine Noth haben.

5. Literae legatorum Saxonicorum et Brandenburgicorum 14. (24.) die Majo datae.

P. P. Gestern ist die Landtagsproposition erfolget. — Man sagt, dass sich Ihrer Dl. Lager taeglich staerke. So mangelt's auch dieses Orts an Kriegsleuten nicht, es ist aber keine solche Verfassung oder Bestallung des Kriegswesens vorhanden, wie auf dem andern Theil, worueber man dieses Orts, wenn es zum Ernst kommen sollte, nicht in geringer Gefahr ist. Die Boehmen sind ueber den Schaden, so dem Lande durch beider Theile Kriegsvolk zugefuegt wird, nicht wenig ungeduldig.

6. Literae legatorum Saxonicorum 15 (25.) die Majo datae.

P. P. Zum Anfang haben wir allhier ein grosses Schrecken befunden, welches zwar nunmehr fast remittirt, aber die Confusion und Unordnung ist noch so gross als zuvor. — Soviel wir hoeren und sehen, mangelt's nicht an Volk, Proviant und anderem, dem Unglueck zu begegnen, aber es ist ganz und gar keine Verfassung vorhanden, die zu einem solchen Werk vonnoethen, da sonderlich der Feind vor Handen und desselben Kriegsvolk zum Theil kaum eine Meile von der Stadt locirt. Ihre Maj. haben von ihren eigenen Herrschaften 4000 Mann und 500 Pferde aufmahnen und zur Staette bringen lassen, es kann aber weder ein Oberster, noch ein andrer Befehlshaber nunmehr ueber 14 Tage Bescheid oder Bestallung erlangen, sondern es weiset sie ein Officier zum andern, darueber sie gar ungeduldig sind. Gleicher Gestalt geschieht dem andern Landvolk auch. — Erzherzog Matthias befindet sich in armis etwas besser als der Kaiser gefasst, traut auch denselben ziemlich viel. Sein Intent ist dahin gerichtet, den Kaiser mit den Waffen zu dringen, dass er resigniren solle. Wir haben zwar nicht unterlassen, die Vornehmsten zu erinnern, dass sie des Kaisers verpflichtete Unterthanen, Diener und Lehnsleute waeren, denen in Boehmen nichts zu reformiren gebuehrte, viel weniger im Roem. Reich — aber sie haben als desperati mit ihren Drohungen beschlossen: Ehe sie sich wieder unter dieses Kaisers Rudolf Regiment wollten finden lassen, ehe wollten sie Tuerken, Tartaren und den Teufel selbst ins Land fuehren und mit einander drauf gehen, sie koennten und wollten nicht mehr trauen, dobey dann viel minae auf die Kriegsobersten und aulicos mit eingelaufen, welche wohl nicht die geringste Ursache dieser Unruhe sein moegen. —

Ihr Dl. Gesandte sind gestern Abend spaet hier eingetroffen, dann sie nicht eher haben erscheinen wollen, bis ihre Geleitsbriefe auch von den Staedten allhier gesiegelt und unterschrieben waeren, ist deshalb morgen um 9 Uhr wieder zum Landtag angesagt, wo man ohne Zweifel Ihr Dl. Gesandte hoeren wird. Die Boehmen, wie wir insgemein reden vernehmen, moechten sich vielleicht willfaehrig finden lassen, allein es fallen Difficultaeten fuer, Eine, dass Ihre Dl. bald gekroent sein und sonst nicht trauen wollen, welche die Boehmen verhoffen, durch genugsame Caution zu accommodiren, Zum andern, dass Maehren sich von Boehmen sondern und nicht mehr unter Ihr Maj. Gubernio sein will. So thut auch den Boehmen trefflich wehe, dass sie armata manu ueberzogen und von beiderseits Kriegsvolk Schaden leiden muessen. — Wir sind bedacht, bei Ihr Maj. Audienz zu suchen und im Namen Ew. churfuerstl. Gnaden uns zu erkundigen, was sie von Ew. churf. Gn. ferner begehren, und wie es mit der saechsischen Huelfe gehalten werden solle. — Die Staende haben ihre gravamina dem Kaiser uebergeben, und wie wir von einem kaiserlichen Rath berichtet werden, sollen Ihre Maj. nicht ungeneigt dazu sein.

7. Literae legatorum Saxonicorum 16. (26.) die Majo datae.

P. P. Der boehmische Secretair Plateiss hat uns berichtet, dass bereits ein Schreiben gefertiget und Ihr Maj. zum Unterzeichnen uebergeben ist, darin Ew. churfuerstl. Gnaden und Andere erstes Tags zum Anzug ermahnet werden. — Der Herr Oberst von Althan berichtet uns, die Boehmen wollen sich beschweren, dass Ihre Dl. armata manu angekommen und der Krone Boehmen solchen merklichen Schaden zugezogen. Ihre Dl. sollen die arma deponiren, zurueckziehen und die Sachen alsdann bei ihnen guetlich und gebuehrlich suchen, so wollten sie sich auch aller Gebuehr erzeigen; wenn es aber nicht geschehe, so wuerden sie ihr Bestes auch bedenken und versuchen muessen. — Wohlermelter von Althan berichtet uns, dass Ihre Maj. jetzt gar wohlgemuth zu den Sachen seien und sich gestern gar mascule erklaert haben, sich durch solche Mittel nicht pochen zu lassen, wie denn Bayern, Braunschweig und andere ihre stattliche Huelfe anboeten. — Wir haben auch verstanden, dass die Schreiben, so Ihre Dl. an die Churfuersten des Reichs abgehen lassen, nicht eines Lauts seien, sondern in denen an die geistlichen Churfuersten ein ganzes Blatt

stehe, darin sich Ihre Dl. entschuldigen, was etwa wegen der Religion diesmal uebersehen werden muesse, dass sich Ihre churfuerstl. Gn. nicht wolle irren lassen, denn Ihre Dl. wollten denselben Sachen seiner Zeit wohl recht zu thun wissen; Welches denn uebereintrifft mit des Erzherzogs Feldmarschalls, des Herrn von Herberstein Bericht, welcher uns zu Colin auf unsere Frage, ob sie denn der Religion halber gewiss versichert, zur Antwort gegeben: gar nicht; Ihre Dl. haetten auf ihr deshalb eingewandtes Suchen zur Antwort gegeben, es waere jetzt nicht Zeit davon zu reden, wenn er sein Intent ins Werk gerichtet habe, wolle er sich der Religion aller Gebuehr erzeigen.

8. Literae legatorum Saxonicorum 17. (27.) die Majo datae.

P. P. Diesen Morgen ist der von Tschernembl aus eigner Bewegniss zu uns in die Herberge gekommen, mit dem wir bei zwei Stunden von der Hauptsache gar ausfuehrlich discurrirt. Er hat sich endlich erklaert: Wenn sich der Kaiser und die Staende also resolviren wuerden, wie die kaiserliche Intercession vermag, so wuerde sich Erzherzog Matthias damit begnuegen und mit Gewalt nichts weiter vornehmen. Wiewohl aber vieler Leute Gedanken anders sind, dennoch, weil gemeldter Tschernembl sonst ein gut Lob hat, unsrer Religion wohl zugethan, des Kaisers Erbieten ganz ueberfluessig, und der Unirten Vermoegen nicht ist, etwas Namhaftes zu tentiren, so lange die Boehmen bestaendig bleiben: so haben wir diese Dinge Ew. churfuerstl. Gn. gehorsam berichten sollen. — Unsers Erachtens ist dem ganzen Roem. Reiche viel daran gelegen, dass Ihre kais. Maj. bei der Krone Boehmen, Schlesien und Lausitz erhalten werden. Denn sollten die unirten Staende diese Lande jetzt auch bekommen, so wuerde ihre Macht so stark, dass sie hernach die Staende im Reich zu all ihrem Wohlgefallen leicht bringen koennten, und es wird gleichwohl von ihrem Vorhaben ins Reich viel boeses Dinges ausgesprengt. — Deshalb ist hochnoethig, jene Provinzen jetziger Zeit in des Kaisers Devotion zu erhalten, bis das Kriegswesen gestillet sei.

9. Literae legatorum Saxonicorum 19. (29.) die Majo datae (ad electoris consiliarios).

P. P. Diese Stunde berichtet uns Graf Joachim Andreas Schlick, dass er auf Befehl des Kaisers mit den Staenden ins-

gemein tractiren solle, dass sie mit einem Revers sich diesmal begnuegen moechten, damit das Hauptwerk gefoerdert, und der grosse Schaden, der dem Landvolk widerfaehrt, ehestes Tages abgeschafft werden moege. Das wird jetzt gehandelt, und hat der Graf Hoffnung dazu, wann sich nur der Kaiser auf ihre Confession erklaert, dass dieselbe der Landtafel einverleibt werden solle. Wann das gestillet, und die Staende werden sich gegen Erzherzog Matthias der Succession halben richtig erklaeren, woran nicht gezweifelt wird, so vertroesten uns nochmals Ihr Dl. vornehme Herren, sie werden abziehen und das Kriegsvolk abdanken.

10. Literae legatorum Saxonicorum 20. (30.) die Majo datae (ad electorem ipsum).

P. P. Gestriges Tages sind die hohen Aemter der Krone Boehmen wiederum bestellt worden, wie Ew. churfuerstl. Gnaden aus inliegendem Verzeichniss zu ersehen, damit die Boehmen gar wohl zufrieden. Sonsten hat man den ganzen Tag mit ihren gravaminibus zugebracht, welche Ihre kais. Maj. zu der Boehmen guter Genuege resolviret, allein der Punkt der Religion ist noch nicht allerdings richtig, und wird jetzo darinnen ferner gehandelt, und hat man heut zu vernehmen, wohin die Sachen endlich auslaufen wollen. — Wird Boehmen und Schlesien bei Ihr Maj. bestaendig bleiben, so hofft man, es werden Ihre Dl. abziehen; sollten sie aber dieses Koenigreichs auch maechtig werden, so hat man sich im Reich wohl fuerzusehen, denn von ihrem weiteren Intent allerlei gefaehrliche Sachen ausgegeben werden. Insonderheit hat gestern der Oberste von Mersburg etliche unsers Mittels berichtet, dass man vorgestern in Ihr Dl. Lager geschlossen haben soll: Wann die Kron Boehmen derselben werde zufallen, so wollten sie weiter in das Reich ruecken, do man dann, weil sie gute Correspondenz daraus haetten, Ihrer fuerstl. Dl. die kaiserliche Kron gutwillig anbieten und entgegen tragen werde. So hat ingleichem der Oberste von Harrach vermeldet, dass die Ungarn und Oesterreicher eine Confoederation mit dem Tuerken gemacht haetten, dieselben Laender auf allen Nothfall mit Rath und That nicht zu verlassen, und es sollte das Reich gute Acht auf sich haben. Dergleichen gefaehrliche und weitaussehende Practiken hat uns dieser Tage eine vornehme Herrenstands-Person in grosser Geheim entdeckt.

Bestellung der hohen Aemter in der Krone Boehmen, publicirt den 19. (29.) Mai 1608.

Herr Adam von Sternberg, oberster Burggraf.
Herr Christoph Popel, Landhofmeister.
Herr Wolf von Kolowrath, Landkaemmerer.
Herr Adam von Wallenstein, oberster Landrichter.
Stenek Adolf von Lobkowitz, oberster Kanzler.
Herr von Schwamberg, oberster Lehenrichter.

11. Literae legatorum Saxonicorum 21. (31.) die Majo datae (ad electoris consiliarios).

P. P. — So haben auch die Boehmen nicht grossen Appetit nach unsrer Huelfe, denn sie allbereit mehr Volk haben, als ihnen zum Widerstand vonnoethen. — Es zeucht stuendlich soviel Kriegsvolk zu Ross und Fuss an, dass wir uns darueber verwundern. Gestern hat man das vergoldete Schwert, davon der Boehmen gravamina melden, wieder aus der Kanzlei gegeben; das ist von den Boehmen ueber die Bruecke geführt und soll an dem Thurm der Teinkirche in der alten Stadt, an dem Ort, da es zuvor gestanden, wieder aufgerichtet werden.

12. Literae legatorum Saxonicorum 21. (31.) die Majo datae (ad electorem ipsum).

P. P. Graf Joachim Andreas Schlick hat uns berichtet, dass Ihre Maj. sich mit den Staenden der Krone Boehmen ihrer gravaminum halben gaenzlich verglichen, und sei der Religionspunkt dahin gerichtet, dass die Staende hinfoerder wegen des Excercitii Religionis in keinerlei Weise noch Wege von Niemand sollen geschieden, auch die bisher gesperrten Kirchen alsbald wieder geoeffnet werden, wie denn sobald zwei vornehme von Adel ihre bisher gesperrten Kirchen geoeffnet, und die andern sich ihres Rechtens gebrauchen wollen. Diese Resolution wird dem Landtagsabschied einverleibt, und ein eigner Landtag zwischen Bartholomaei und Galli darueber gehalten und eine Specialvergleichung treffen und der Landtafel einverleibt werden. Damit sind die Boehmen sehr wohl zufrieden, ziehen stark und wohlgeputzt an, und sollen die boehmischen Herren eintausend Pferde ohne das fuers Volk bringen. Graf Schlick hat 26 Pferde und 200 Mann wohlgekleidet und armirt praesentiret. Desgleichen thun die andern mit gutem

Willen, weil sie nur den Punkt der Religion erhalten, und die hohen Aemter mit wohlqualificirten Leuten ersetzt, nur der oberste Kanzler hat ein schlecht Lob und ist dabei in grosser Gefahr. — So hat uns der Herr Tschernembl noch gestern berichtet, I. Dl. warten auf der Staende Resolution, mit derselben wuerden sie sich contentiren lassen und weiter nichts fuernehmen. Haben derwegen wir und maenniglich gute Hoffnung, es solle dies grosse Feuer nunmehr bald gestillet werden.

13. Literae legatorum Saxonicorum 22. die Majo (Calendis Juniis) datae.

P. P. Man haelt dafuer, dass Ihre kaiserl. Maj. aus acht Kreisen 40,000 Mann beisammen haben, welche taeglich gemustert werden, desgleichen 6000 Mann zu Ross und Fuss geworben Volk, wie uns der von Altheimb berichtet, und in den Staedten allhier ein grosses Volk, welches alles willig und wegen des grossen Schadens, so ihnen zugefuegt, dermassen erhitzt ist, dass man genug an ihnen zu halten hat. Das macht alles, dass Ihre kais. Maj. die gravamina erledigt und den Leuten die Religion freigelassen, wie man denn schon in Arbeit stehet, eine lutherische deutsche Kirche in der Neustadt aufzurichten, welche vorstehende Woche soll eroeffnet werden. Dieser Tage ist Herr Schmititzky allhier gestorben, welchem auf seinen Guetern durch Ihr Dl. Kriegsvolk wesentlicher Schaden zugefuegt sein soll. Graf Joachim Andreas Schlick hat sich bei diesen Dingen gar wohl erzeigt und dadurch zufoerderst Ihr kaiserl. Maj. grosse Gnade, bei den Staenden aber sondern favor erlanget. — Postscriptum. Am naechsten Freitage ist der Artikel von des Papstes Dispensation in Ehesachen, vermoege der boehmischen Staende gravaminum, in ihrer Gegenwart gar solemniter aus der Landtafel cassirt und ausgeloescht worden.

14. Literae legatorum Saxonicorum 26. die Majo (5. die Junio) datae.

P. P. Von der Resolution, so erfolgen moechte, gehen widerwaertige Judicia, Etliche halten dafuer, es werden Ihre Dl. acquiesciren, Etliche stehen in den besorglichen Gedanken, dass Ihre Dl. damit nicht zufrieden, sondern gekroent sein, oder das Land von Kreis zu Kreis durchziehen, verderben und also zur Huldigung zwingen werden. Weil aber zur Zeit noch keine Erklaerung ein-

kommen und man dieses Orts mit einer ansehnlichen Summa Volks gefasst, so ist nichts gewisses davon zu schreiben, es wird sich aber nunmehr ueber zwei Tage nicht bergen lassen. Man hat angefangen, das Kriegswesen allhier zu fassen, und ueber das Landvolk, dessen ueber 20,000 sein soll, ist der Graf von Hohenlohe, ueber diese Stadt aber der Graf von Thurn zum Obersten verordnet, Brsesowitz zum General-Wachmeister ueber die Reiterei, Herr Wradislaw ueber das Fussvolk. Was Ihr Maj. geworbenes Kriegsvolk anlangt, haelt man dafuer, es werde der Oberst von Altheim commandiren. — Einmal ist wahr, dass die ganzen Landschaften um diese Sachen nicht viel wissen, und dies ganze Unglueck von wenig Privatpersonen gestiftet und getrieben wird, welche von keiner Provinz zu solchem Ende weder Befehl noch Vollmacht haben. — Mit der Musterung wird allhier noch stark verfahren, auch das Landvolk mit Musketen und langen Spiessen bewehrt, und wollte Jedermann gern, dass man nur bald zum Ernst griffe, welches aber Ihre Maj. bisher mit grosser Geduld verhuetet, wie denn auch die Boehmen die Musterung anders nicht, denn defensive, nicht offensive, verwilligt haben.

15. Literae legatorum Saxonicorum 27. die Majo (6. die Junio) datae.

P. P. Wie uns fuernehme boehmische Herren berichtet, hat man gestern 16,000 zu Fuss und 3000 zu Ross, so wohl geputztes Kriegsvolk, sonderlich zu Ross, darunter mehrestheils von Adel sein sollen, auf die Koenigswiese gefuehrt. Es laeuft stuendlich viel Volks zu, und geben die Boehmen aus, wenn alle Kreise anziehen, werden sie 12,000 zu Ross und 50,000 zu Fuss, ohne das in dieser Stadt anwesende geworbene schlesische, lausitzische und andre Volk, stark sein. Es ist ein gross jaemmerlich Klagen ueber den trefflichen Schaden und unerhoerten Muthwillen Ihr Dl. Kriegsvolks, dessen zwar die Ungarn mehrestheils beschuldigt werden, daher der boehmische Landmann ganz ungehalten; wenn es nicht in wenig Tagen geaendert, so kann es ohne merklichen Schaden und Blutvergiessen nicht abgehen, denn man auf beiden Theilen des Kriegsvolks nicht mehr maechtig ist.

16. Literae legatorum Saxonicorum 5. (15.) die Junio datae (ad electoris consiliarios.)

P. P. Wir werden berichtet, dass sich Ihre Dl. beim Papst zu Rom entschuldigen lasse wegen Freistellung der Religion, habe etwas temporisiren und conniviren muessen, wolle zu seiner Zeit der Sachen wohl recht zu thun wissen, welches wir desto leichter glauben koennen, weil unlaengst der Herr von Tschernembl in unsrer Gegenwart gestanden, dass in simili an die geistlichen Churfuersten geschrieben sei. Koennen also nicht sehen, wie die guten Leute dieses Punkts halben, sowohl in Boehmen als Oesterreich, assecurirt sind. So kommt uns auch fast sorglich und gefährlich vor, dass sich Schlesien und Lausitz allbereit unter 18 Siegeln etzlicher Massen zur Union geschlagen, wie wir noch diese Stunde berichtet und auf Copey derselben vertroestet sind. Man giebt constanter aus, die Unirten haben eine Confoederation mit dem Tuerken, sie in allen Nothfaellen nicht zu verlassen.

17. Literae legatorum Saxonicorum 6. (16.) die Junio datae (ad electorem ipsum.)

P. P. — Postscriptum. Es sind viel Leute der Meinung: Wann Ihre Dl. allhier durchbrechen koenne, so moechten sich dieselben cum exercitu, wie allhiero geschehen, ins Reich, etwa vor Frankfurt, legen und daselbst der Wahl armata manu gewarten wollen, wie denn der Rath zu Frankfurt eigne Leute allhier haben soll, die auf diese Dinge fleissig Achtung geben.

Alia his de rebus a legatis Saxonicis relata partim annotationibus jam inserui.

Berolini, typis expressit Gustavus Lange.



